V. P. NICOLAI LANCICII

E SOCIETATE JESU

OPUSCULUM SPIRITUALE VIGESIMUM PRIMUM.

V. P. NICOLAI LANCICII
E SOCIETATE JESU

DE PIIS ERGA DEUM ET SANCTOS AFFECTIBUS

PUNCTA MEDITATIONUM

pro usu
TYRONUM ET PROFICIENTIUM
IN VIA SPIRITUALI.

PARS ALTERA.

Editio recens emendata.



CRACOVIAE.
E TYPOGRAPHIA VL. L. ANCZYC ET SOCIORUM.
Provisore Joanne Gadowski.
1891.

44495

Nr. 3983.

APPROBATIO.

V. P. *Nicolai Lancicii S. J.* Opusculum spirituale XXI. „De piis erga Deum et Sanctos affectibus: Puncta meditationum pro usu Tyronum et Proficientium in via spirituali", denuo imprimi permittimus.

Cracoviae, die 12 Octobris 1891.

† *A. Card. Dunajewski.*

INDEX MEDITATIONUM,

PRO PRAECIPUIS FESTIS SANCTORUM.

		Pag.
De Omnibus Sanctis.	(Die 1. Nov.)	1
„ poenis purgatorii.	(„ 2. „)	4
„ S. Martino Ep. Conf.	(„ 11. „)	6
„ S. Stanislao Kostka.	(„ 13. „)	7
„ Praesentatione B. V. Mariae.	(„ 21. „)	9
„ S. Catharina V. et M.	(„ 25. „)	10
„ S. Andrea Ap.	(„ 30. „)	12
„ S. Francisco Xav.	(„ 3. Decemb.) . .	14
„ S. Nicolao Ep. et M.	(„ 6. „) . .	16
„ Conceptione Imm. B. V. M.	(„ 8. „) . .	17
„ S. Thoma Ap.	(„ 21. „) . .	19
„ S. Sebastiano M.	(„ 20. Januarii) . .	20
„ Purificatione B. V. M.	(„ 2. Febr.) . . .	22
„ Tribus. SS. Martyr. Jap.	(„ 5. „) . . .	24
„ S. Mathia Ap.	(„ 24. „) . . .	26
„ Canonizatione SS. Ignatii et Francisci Xaverii.	(Die 12. Martii) . . .	28
„ S. Josepho.	(„ 19. „) . . .	30
„ Annunciatione B. V. M.	(„ 25. „) . . .	33
„ S. Adalberto Ep. M.	(„ 23. Aprilis) . .	35
„ SS. Philippo et Jacobo.	(„ 1. Maii) . . .	37
„ S. Stanislao E. M.	(„ 8. „) . . .	38
„ S. Aloysio.	(„ 21. Junii) . . .	40
„ S. Joanne Bapt.	(„ 24. „) . . .	42
„ SS. Petro et Paulo AA.	(„ 29. „) . . .	44

Pag.

De Visitatione B. V. M. (Die 2. Julii) . . . 46
„ SS. Cyrillo et Methodio („ 5. Julii) . . . 47
„ S. Maria Magdalena. („ 22. „) . . . 50
„ S. Jacobo Ap. („ 25. „) . . . 51
„ S. Anna. („ 26. „) . . . 53
„ S. P. N. Ignatio. („ 31. „) . . . 56
„ S. Laurentio Mar. („ 10. Aug.) . . . 57
„ Assumptione B. V. M. („ 15. „) . . . 58
„ S. Bartholomaeo Ap. („ 24. „) . . . 59
„ eodem Sancto. (Medit. altera) . . . 61
„ „ „ („ tertia) . . . 62
„ Nativitate B. V. M. (Die 8. Septembris) 64
„ Exaltatione S. Crucis. („ 14. „) 66
„ S. Matthaeo Ap. („ 21. „) 67
„ SS. Cosma et Damiano („ 27. „) 70
„ S. Wenceslao Mar. („ 28. „) 72
„ S. Michaele Arch. („ 29. „) 74
„ S. Angelo Custode. („ 2. Octob.) . . 76
„ S. Francisco Borgiae. („ 10. „) . . 78
„ eodem Sancto. (Medit. altera) . . 80
„ SS. AA. Simone et Iuda. (Die 28. Ocotb.) . . 82
In Dedicatione templi. 84
De SS. Martyribus templi nostri. 85

VARIAE RECOLLECTIONES.

A) PRO COLLECTIONE ANTE RENOV. VOTORUM.

Prima series. 87
Secunda series. 112
Tertia series. 136
Quarta series. 164

B) PRO VARIIS SPIRITUALIBUS INDIGENTIIS.

I. Pro diebus vacationum generalium 181
II. Contra Pusillanimitatem. 198

Pag.

III. Pro octiduana collectione in fine «Tertii anni». 210

C) MODUS FACILIS MEDITANDI

pro saecularibus personis, praesertim proceribus et in magistratu aliquo positis.

Praeviae observationes. 276
De fine collectionis magnatum. 280
Meditationes octo. 284
Monita data cuidam Comiti Bohemo 320
Index rerum alphabeticus. 331

PUNCTA MEDITATIONUM

TYRONIBUS ET PROFICIENTIBUS IN VIA SPIRITUALI ACCOMODATA.

PARS SECUNDA

continet puncta meditationum pro praecipuis festis Sanctorum [1]), necnon pro variis renovationibus, necessitatibusque spiritualibus.

De Omnibus Sanctis.

(Die 1. Novembris).

Punctum I. — Considera multiplicem gloriam Sanctorum in coelis, varias in classes distributorum, tam angelicorum quam humanorum Spirituum beatorum, quam gloriam habent, ex clara ac intuitiva Domini Dei visione, prout est in se. Unde replentur omni bono illi statui con-

[1]) Excipiuntur festa: S. Stephani Protomart., S. Ioannis Evang., SS. Innocentium, quae sunt in I-a parte.

venienti, cum summo gaudio voluptateque, experte omnis tristitiae, taedii, sollicitudinis, timoris, laboris, et aliarum omnium rerum molestarum; cuius gloriae magnitudinem cognosces, tum ex illa Spiritus Sancti sententia: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus* diligentibus se[1]); tum ex infinito valore operum ac meritorum Christi Domini vitae ac mortis, qua comparavit electis huius gloriae consecutionem. Et ita ad consecutionem huius gloriae vehementer desiderium tuum accende.

PUNCTUM II. — Considera facilitatem assequendi hanc gloriam, vi meritorum Christi Domini et auxiliorum eius gratiae. Cuilibet enim in Domini Dei gratia existenti, datum est ius ad gloriam. quo iure, invitus ne quidem a Domino Deo potest privari ullus; gratiae autem consecutio tam facilis est, quam facilis est bona confessio, ac post eam gratiae conservatio per fugam peccatorum, quae etiam volenti, per Domini Dei gratiam, cuivis est facilis. Vide igitur quomodo hac in parte te geras, et tibi ad gloriam aditum per gratiae conservationem pares.

PUNCTUM III. — Considera facilitatem consequendi locum et gradum altissimum in gloria coelesti: ad quam altiorem et maiorem consequendam, iusto nulla alia re ex parte ipsius

---

[1]) I. Cor. II. 9.

opus est, quam operum bonorum, propter finem supernaturalem, libere et sine peccato factorum frequentatione. Minimis enim operibus talibus correspondet certa gloriae pars, unde in infinitum augeri potest, si in infinitum a te frequententur in hac vita. Deplora ergo caecitatem tuam, qui cum possis in tam altissimo loco, Deoque propinquissimo tam facile esse, per meram tuam socordiam tam magno bono te privas.

Punctum IV. — Considera necessitatem multiplicem, qua plane obligaris ad hoc, ut non quomodocunque, sed tamquam magnus Domini Dei servus et perfectus, ex hac vita ad gloriam coelestem transferaris, cum habeas multa auxilia interna et externa ad hoc, et nulla impedimenta: et si quae sunt, talia sunt, quae possunt te iuvare ad gloriae et gratiae Domini Dei augmentum, si ea tollas, vel eis obstes. Ex altera parte perpende, quam sis imperfectus et malus Domini Dei servus, quam multas feminas in coelis saeculares invenies, quae in hac vita erant magis perfectae: in oratione, in paupertatis amore et exercitio, in castitatis dono, in patientia, in obedientia, in munditia cordis. Excita ergo te ad sanctitatis desiderium, deplora caecitatem tuam, et te emenda.

DE POENIS PURGATORII.

(Die 2. Novembris).

PUNCTUM I. — Considera acerbitatem poenarum purgatorii, conferendo eas cum internis animae et corporis molestiis, quas morbi multiplices adferunt hominibus in hac vita, et aliae calamitates, et cum omnibus suppliciis, quae vel scelesti homines ob facinora, vel sancti ob virtutem sunt unquam passi, vel pati possunt; quibus omnibus sunt graviores multo purgatorii poenae minimae. Qua earum acerbitate permotus, agnosce, quomodo danda tibi sit opera, ut misellas animas, ibi cruciatas, eliberare inde studeas, et teipsum ab iis praeservare.

PUNCTUM II. — Considera facilitatem incurrendi poenas purgatorii, quibus obnoxii redduntur homines quovis veniali, etiam minimo, peccato, in hac vita inexpiato. Tu modum vivendi tuum introspice, et agnosce, quam multa talia, et forte quotidie committis peccata, et te dignum tam acerbis purgatorii poenis reddis. Quocirca si scires te, in crimine aliquo deprehensum, ob quod merereris poenam capitis, quantopere sollicitus esses ad evadendam eam poenam, quid non offerres pro commutatione talis poenae? Idem statue ad evadendas purgatorii poenas, multo graviores omni humano supplicio.

PUNCTUM III. — Considera modum, quo po-

tes evadere purgatorii poenas peccatis tuis debitas, scilicet: magno fervore ardentis erga Dominum Deum charitatis, et magna poenali satisfactione, seu maceratione carnis et animae, quae tamen multo minor est acerbitate poenatum purgatorii. Collige itaque in unum omnes molestias tuas, quas sive animo, sive corpore pateris, quam multo sint leviores purgatorii poenis, quibus tamen patienter et libenter toleratis, posses illas vel omnino evadere, vel penitus abolere. Et statue, quam serio et quam patienter illae tibi in posterum sint tolerandae.

Punctum IV. — Considera in particulari, magis frequentem molestiam, quae te in Religione affligit ac turbat, et vitam tuam inquietam reddit, an sit tanta, quanta est v. g. molestia quam perciperet aliquis, in fornace ardens?.. procul dubio non est tanta. Cur ergo molestias tuas tolerare non vis, etsi minores molestia fornacis ardentis, et adhuc multo minores molestia purgatorii? O quantum beneficium est illas perpeti, ne purgatorii maiores cruciatus sentias. Deplora ergo tuam sensualitatem, et te ad omnia huius vitae acerba praepara, siquidem longe minora sunt purgatorii poenis.

DE S. MARTINO EP. ET CONF.

(Die 11. Novembris).

PUNCTUM I. — Considera facilitatem ineundae magnae gratiae apud Dominum Deum, per opera non magna, sed ex magno fervore charitatis Domini Dei causa facta, quale fuit illa pars vestis data indigenti a sancto Martino, quod Christus Dominus tanti fecit, ei ut apparens dixerit: «Martinus, adhuc catechumenus, hac me veste contexit». Si ergo nondum baptizati adolescentis eleemosyna tam grata fuit Christo Domino, quanto magis alia iustorum opera ferventer facta. Admirare Domini Dei clementiam; laetare ob tam facilem rationem placendi Domino Deo; et excita te ad frequentanda opera bona Domini Dei causa.

PUNCTUM II. — Considera amorem vitae religiosae in sancto Martino, qui factus episcopus in monasterio a se aedificato, cum octoginta monachis sanctissime vixit; et causas inquire, quae eum ad talem vivendi modum et locum impulerant; et ex singulis te excitare stude, ad amorem tenerrimum et ferventissimum religiosae vocationis, bonis eius praecipuis intimo sensu, et erga Divinam Maiestatem grato, ponderatis.

PUNCTUM III. — Considera bonam conscientiam sancti Martini, «qui nec mori timuit» morti proximus, «nec vivere», Dei adhuc in eius

plebe honorandi causa, «recusavit»; et perpende, quid ei tantam vitae et mortis securitatem attulerit; et an in te sint ea, quae talem securitatem adferre queant, inquire, et id omni conatu consequi stude.

Punctum IV. — Considera eius in oratione constantiam, et orandi modum: nam «oculis et manibus semper in coelum intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat»; et monentibus discipulis, ut pronus quiesceret, respondit: «Sinite me coelum potius quam terram aspicere, ut suo itinere iturus ad Dominum spiritus, dirigatur». Quem piae mentis affectum cum gustu intimo considerans, exardesce amore tam bonae animae, tali erga Dominum Deum affectu liquescentis; et incusata tua aversione a rebus similibus, erubesce coram Divina Maiestate, veniam pete, et propone emendationem.

De B. Stanislao Kostka.

(Die 13. Novembris).

Punctum I. — Considera quomodo beatus Stanislaus in saeculo, ante ingressum in Societatem, observarit Dei et Ecclesiae praecepta: nimirum nulla in re gravi est illa transgressus. Tu confer vitam tuam cum vita illius, et agnita magna diversitate humilia te, defle peccata tua;

et eo intercessore adhibito, pete a Domino eorum remissionem; et cogita, ac apud te statue, quid debeas praestare, ut Dominum tuum reddas placatum, eique satisfacias in Religione pro tot et tantis saeculi peccatis.

PUNCTUM II. — Considera modum vivendi beati Stanislai in saeculo, ex lectione vel auditione eius vitae agnitum. Quomodo se gesserit in templo, in schola, in hospitio, in conversatione, in oratione ad mensam; et facta reflexione ad tuum praesentem modum in his locis et occasionibus, agnosce quantopere te Religiosum ille adhuc saecularis superarit, ideoque erubesce et ab eo pete, ut ita in Religione vivas, quemadmodum ille saecularis vixit in saeculo.

PUNCTUM III. — Considera vitam beati Stanislai in Societate: quomodo vota servarit ac regulas, quomodo ex fervore suo addiderit alia, quae a regulis Societatis non erant illi praescripta. Ex altera parte confer vitam tuam in Societate, quoad observationem votorum, regularum, ac inspirationum, quas tibi Deus communicat, et vide quid in his rebus corrigere debeas, ut placeas Deo tuo.

PUNCTUM IV. — Considera statum beati Stanislai duplicem: unum in Ecclesia militante, alterum in Ecclesia triumphante. In Ecclesia militante, quanto sit in honore ubique, et quidem unus iuvenis undeviginti annos natus, et quidem unus novitius, idque extra patriam mortuus. In

triumfante vero, quibus nunc plenus sit divitiis, deliciis, honoribus. Gratulare ergo ei hanc duplicem felicitatem, Deo gratias age, tamquam auctori utriusque; denique ab eo pete, tibi ut impetret, quo possis serio et efficaciter vivere ac mori in Religione, iuxta spiritum eius vivendo, et quam maxima ob Dei gloriam merita ac praemia cumulare.

De Praesentatione B. V. Mariae.

(Die 21. Novembris).

Punctum I. — Considera causas ob quas Beatissima Virgo a parentibus piis Domino praesentata fuit, ut prope templum Domini, Domino deserviret, et ex singulis pios affectus elicias.

Punctum II. — Considera tempus Beatae Virginis, qua praesentata fuit aetate, scilicet tertio anno aetatis: et hic similiter causas inquire, cur tam cito voluit Dominus Deus eam suo obsequio deputare, et facta ad tardam tuam ad Christum Dominum conversionem applicatione, confundere, veniam pete, compensa tarditatem.

Punctum III. — Considera quo animi affectu Virgo tenerrima se Domino offerret: quid mente, quid ore, quid gestu erga Dominum exhiberet in Praesentatione sui; et ex singulis decerpe imitanda, quae tui confusionem parere possunt, ac vitae adferre emendationem.

PUNCTUM IV. — Considera quomodo vixerit Beatissima Virgo in aedibus templo adiacentibus post sui Praesentationem, quomodo in rebus divinis se gesserit, quomodo in sermone, et aliis operibus cum aliis: et facta ad te reflexione, ac propositis variis emendationis morum tuorum, pete ab illa, ut tibi impetret resolutionem perseverantem et efficacem, ut tandem aliquando te Domino praesentes, instar boni et fidelis servi, exacte res ab eo, et eius nomine ab eius oeconomis iniunctas, exequendo.

DE S. CATHARINA V. ET M.

(Die 25. Novembris).

PUNCTUM I. — Considera miram sanctae Catharinae a prima aetate in studiis litterarum, et fidei amore diligentiam, qua brevi ad eam sanctitatis et doctrinae perfectionem pervenit, ut duodevigesimos annos nata, eruditissimum quemque superaret; et simul perpende, quid ex parte sua contulerit, ad tantum, tam brevi tempore, et in sanctimonia vitae, et in litterarum disciplinis profectum; et facta ad te reflexione, vide quid desit tua culpa tibi, et imitari stude hanc Sanctam.

PUNCTUM II. — Considera fortitudinem sanctae Catharinae, quae spreto mortis periculo ultro adiit Maxentium, eius in Christianos immanitatem redarguens, et Christi Domini fidem

ad salutem necessariam suadens; cum qua heroica fortitudine confer tuum vanum timorem, qui nullos alienos defectus impedire verbis vel factis audes, saepe etiam adiuvas, etsi impediendo illos, nullum damnum, magnam apud Dominum Deum et melius de rebus iudicantes laudem referres; et tamen vis esse martyr Christi Domini, et tamen ad Christi Domini honorem promovendum et convertendum mundum Religionem ingressus es, qui nec domesticos defectus leves impedire audes; erubesce et te emenda.

Punctum III. — Considera patientiam invictam Catharinae, quae nec verberibus, nec plumbatis, nec undecim dierum sine cibo et potu exactorum abstinentia, nec paratis ad carnificinam crebris et acutis gladiis praefixa machina, se passa est avelli a data Christo Domino suo fide. Tu cum his tormentis confer illas molestias, quas Christus Dominus per homines in poenam tuorum peccatorum mittit, quam leves sunt et pene nullae; et tamen quam saepe eas vel refugis, vel iniquo animo fers, et earum occasione Christum Dominum offendis. Deplora ergo hos tuos mores, et ad ardens patiendi in domo Dei desiderium accendere.

Punctum IV. — Considera praemium virtutum sanctae Catharinae, scilicet: martyrii coronam, corporis in monte Sinai per manus angelicas sepulturam, et gloriam coelestem, et quam

bene Dominus pro se facta et tolerata remuneratus sit. Haec perpendens excita te ad multa bona Domini Dei causa patranda, et multa mala aequo animo perferenda, utque haec assequaris, ardenter a Domino Deo pete.

DE S. ANDREA APOSTOLO.

(Die 30. Novembris).

PUNCTUM I. — Considera mira Domini Dei iudicia, qui ad apostolatum, non reges, vel principes, sed viles homines vocavit, uti Andream mittentem rete in mare; causisque huius rei pie ponderatis, spem in te excita divini favoris, cui non obstabit vilis conditio tua, si tamen Dominum Deum audire volueris, qui iam te ad apostolicam vitam vocavit; pro qua re actis illi gratiis, mores apostolicos et perseverantiam pete.

PUNCTUM II. — Considera finem vitae apostolicae: *Faciam vos fieri piscatores hominum*[1]; et hinc agnosce finem vocationis tuae, an vero eum quaeras, an pro tuo modulo homines Domino Deo piscari coneris, inquire: non est autem, quod te excuses, defectu occasionis; nam et domi et in cubiculo habes, quem pisceris, si non alium, saltem te ipsum. Hoc ergo ut facias,

[1]) Matth. IV. 19.

ad id te excita, adductis ad id aliquot motivis.

Punctum III. — Considera promptam sancti Andreae obedientiam, qui ad primam Christi Domini vocem statim secutus est eum; tu examina tam frequentes Christi Domini voces, tam internas quam externas, quas alieno ore ad te transmittit. Cur ergo Christum Dominum non audis? ex altera parte pondera quam facile audias mala suadentes verbo et exemplo; quis crederet, religiosum credentem Christum Dominum magis esse audiendum quam homines, his tamen facilius morem gerere cum damno suo, quam Christo Domino cum certa spe praemii; haec ruminando confundere, defle, et te emenda.

Punctum IV. — Considera dulcissima illa sancti Andreae ad crucem, per quam coelos conscendit, alloquia: «Salve o bona crux, sine intermissione quaesita et tandem aliquando cupienti animo praeparata; accipe me ab hominibus, et redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit» [1]); et singula verba, iuxta secundum vel tertium orandi modum ponderando, elicies pios affectus, et in te crucis desiderium excitabis, et crucis fugam detestabere.

---

[1]) Ex Breviar. Rom. lectio VI. in festo S. Andreae.

DE S. FRANCISCO XAVERIO.

(Die 3. Decembris).

PUNCTUM I. — Considera tempus aetatis, qua sanctus Xaverius ad vitae sanctioris studia, divinitus per S. Patrem Ignatium vocatus est: anno scilicet aetatis trigesimo septimo; hinc spem concipere potes, nondum esse elapsum tempus id, quo et tu quoque, vita meliore inchoata, queas Domini Dei ope ad sanctitatem plenam pervenire: sive quia citius mundum reliquisti quam sanctus Xaverius, sive, etsi tardius ad Dominum Deum conversus es, potest Dominus etiam in extrema aetate suorum donorum monilibus te exornare; tantum duabus rebus te instrue: 1°, efficaci resolutione et ardenti ad vitam sancte traducendam; 2°, constanti cooperatione tua ad Domini Dei auxilia, quae nulli desunt, adhibenda; quae sita sunt tum in impedimentis vitae sanctae superandis, tum in amplectendis mediis ad eam conducentibus. Quod an habeas vide, quod si forte non habes, habere incipe, implora divinum auxilium, et te serio emenda.

PUNCTUM II. Considera duos modos quibus initio suae conversionis usus est sanctus Xaverius ad vitae sanctae consecutionem: 1° enim magna vi conatus est carnem spiritui rebellem compescere inedia, verberationum ciliciorumque asperitate: 2°, animi quoque impetus

cohibere studuit, officiorum humilium frequentatione, et sui victoria in amplectendis iis, a quibus vitiosa abhorret natura. Haec quantopere conferant ad vitae sanctioris progressus, vide, et an tibi sint cordi, pondera, et statue, quid tibi sit faciendum.

Punctum. III. — Considera ordinarium modum quo sanctus Xaverius more aliorum Domini Dei servorum usus est ad magnum in sanctitate progressum, scilicet: studium diligentissimum assiduae cum Domino Deo coniunctionis, quod enituit tum in rebus ad Domini Dei cultum spectantibus accurate et ardenter perficiendis, scilicet meditatione, Missa, Officio divino, examine conscientiae; tum in iungenda perpetuo mente cum Divina Maiestate, quantum per occupationes licebat. Hic revocatis in memoriam variis harum rerum exemplis in vita eius, maxime illo ardore orationis prae quo non poterat Domini Dei ei se infundentis capere copiam et exclamare cogebatur, «satis est Domine, satis est»; et tua tepiditate, ariditate, negligentiaque deplorata: tuos mores corrige.

Punctum IV. — Considera cautelam quam sanctus Xaverius adhibuit, in vitandis omnibus, quae spirituali illius profectui nocere poterant: etsi enim tota vita inviolatam servarit castitatem, tamen adeo timidus et cautus in hoc genere erat, ac si maxime obnoxius esset libidini. Deinde, etsi tot donis Domini Dei esset ple-

nus, saepius tamen in die conscientiam suam examinabat, ne qua in re vel levissima laberetur. Tu confer mores tuos cum his moribus, et cum tantopere sint ab iis diversi, vide qua in posterum cautela interna et externa sit tibi utendum.

De S. Nicolao Ep. et Conf.

(Die 6. Decembris).

Punctum I. — Considera quid a te Christus Dominus exigat cum se comparat domino peregre a servis suis proficiscenti[1]): scilicet, ut ita te geras domi suae, quemadmodum solet servus bonus dare operam, ne se Dominus rediens inveniat imparatum. Talis an sis vide, et ut sis contende.

Punctum II. — Considera talenta naturalia intrinseca data tibi ad lucrum spirituale ingentium meritorum, scilicet membra et sensus corporis, potentiasque animae; et quomodo huic lucro spirituali hactenus vacaveris inquire, et te corrige.

Punctum III. — Considera quod non tantum quinque, sed multo plura talenta a Domino accepisti ad lucrum in statu religioso et tuo Ordine, tum communia aliis religiosis, tum propria tui Ordinis; quae omnia singillatim trutina,

[1]) Matth. xxv. 14.

et quem ex his fructum reportes perpende, et vide quid te oporteat facere, ut cum in die iudicii particularis Dominus redierit, non te puniat, sed constituat super omnia opera sua in coelo, beatum et regnantem.

Punctum IV. — Considera communia talenta supernaturalia intrinseca et extrinseca, data tibi divinitus ad lucrum spirituale amplissimum, omnia scilicet media Sacramentorum, ceremoniarum, indulgentiarum, librorum, exemplorum, gubernationis Superiorum, concionum, monitorum et auxiliorum divinae gratiae multiplicium; item habitus supernaturales virtutum, et dona Spiritus Sancti. Et ut iis tanquam bonus servus utaris, vide.

De Conceptione immaculata B. V. Mariae.

(Die 8. Dec.).

Punctum I. — Considera miram Domini Dei providentiam, quae sanctissimas permittit personas variis hominum iudiciis infestari, eorum famae adversantibus, propter fines procul dubio magnos, ad magnam eius gloriam spectantes. Et ita permittit viros sanctos et doctos existimare Beatam Virginem Mariam in peccato originali esse conceptam [1]). Hoc exemplo anima

[1]) Scil. temporibus auctoris, diu ante definitum dogma Immac. Concept. B. V. M.

te, ad sinistra hominum iudicia, dum nullam eis das occasionem, eaque expete, adductis ad id expetendum motivis, ut ita te conformes Matri tuae sanctissimae.

PUNCTUM II. — Considera peccati originalis vim, quod etiam ipsam Deiparae animam infecisset, ni peculiari Domini Dei ope praeservata fuisset. Cuius beneficii magnitudinem ponderans, gratulare Beatissimae Virgini, Deo Optimo Maximo gratias age; te vero humilia coram eius Sanctissima Maiestate, quia ipsum vitae tuae initium ab inimicitiis cum Domino Deo exorsum est, et gratias age quod te noluerit sine baptismo mori, quo innumeri caruerunt, et decessuri nunquam beatifice videbunt Dominum Deum, nisi a martyrio vel aliis modis iuventur.

PUNCTUM III. — Considera pulchritudinem et nitorem Beatissimae Virginis in anima, dum corpusculo illius iungebatur, ex gratia sanctificante ortum. Cuius gratiae pulchritudinem agnosces, tum ex malis quae arcet, tum ex bonis quae confert, tum ex comparatione ad omnes alias, quas homines amant, et quibus inhiant. Hac autem consideratione excita in te desiderium habendi animam quam maxime mundam, et quaerendi pro hac re media.

PUNCTUM IV. — Considera affectum omnium personarum Divinarum, item sanctorum Angelorum e coelo animam Beatissimae Virginis necdum natae spectantium, cum quo maxime

gustu, cum qua voluptate, et commendatione eam spectaverint. Huic affectui in te similem excita erga Beatissimam Virginem, eamque intime adora, uti tot donis gratiae ab instanti conceptionis plenam; et facta reflexione ad turpitudinem animae tuae, confundere, veniam pete, implora eius auxilium, ut quam citissime et quam perfectissime munderis, et perfectissimus in oculis Domini Dei appareas.

De S. Thoma Apostolo.

(Die 21. Dec.).

Punctum I. — Considera typum hominis destituti efficaci Domini Dei auxilio in sancto Thoma expositum, qui aliis Apostolis, etsi fide dignis, et testibus oculatis, credere noluit, Christi Domini Resurrectionem asserentibus. Ideo semper esto pavidus, et nunquam praesumas; et si quos labi graviter quandoque audis, iis compatere, et vide quid te oporteat vitare et facere, ne tibi efficaciam auxilii, quod multis fecit, subtrahat Dominus Deus.

Punctum II. — Considera maiorem incredulitatem tuam, quam fuerit Thomae, qui plura habens testimonia Christi Domini ipsius, non credis practice res plures; quia factis ostendis te non credere, maiora esse bona coelestia quam gustus terrenos, magis esse quaerendam gratiam Domini Dei quam hominum, maiores esse poe-

nas purgatorii quam huius vitae molestias, virtutes maiori studio digniores esse quam scientias humanas. Haec cum videris te illis anteponere, erubesce, et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera benignitatem Domini Iesu, qui etsi valde detestaretur peccatum Thomae, eum tamen a se non reiecit, sed benigne ipsum adiit, allocutusque est prior, et se palpandum incredulo exhibens, incredulitatem abegit. Gratias age tam benigno Domino, confer tuum procedendi modum cum iis a quibus te putas offensum, et defle defectus tuos ac corrige.

PUNCTUM IV. — Considera pios affectus in sancto Thoma, Christi Domini vulnera aspiciente et tangente, et verba illius: *Dominus meus et Deus meus* [1]); et similes affectus elicere stude erga Sanctissimum Sacramentum, quod susceptorus es.

DE S. SEBASTIANO MARTYRE.

(Die 20. Ianuarii).

PUNCTUM I. — Considera sanctum Sebastianum, ob generis nobilitatem et eximiam virtutem, adeo charum fuisse imperatori Diocletiano, ut eum primae cohortis ducem constituerit. Quam occasionem ille non in luxum, va-

[1]) Ioann. xx. 28.

nitatem, aut superbiam, sed ad orthodoxae fidei incrementa, et divinae Maiestatis gloriae propagationem sincere impendit, cum christianos, quacunque posset adiuvaret opera et facultatibus. Disce, quomodo talentis naturae et industriae utendum sit; et christianam nobilitatem longe amplius splendoris accipere ex miserorum subsidiis quam quibusvis mundi dignitatibus.

Punctum II. — Considera sanctum Sebastianum, non sine evidenti amittendae dignitatis et vitae periculo, christianos, acerbissimis tormentis subiectos, confirmare in fide fuisse solitum, tam efficaci exhortatione, ut multi ultro se offerrent inauditis cruciatibus Christi amore perferendis. Vide, quo tuo incommodo aut periculo, aliorum in virtute profectui ac perseverantiae, conversioni animarum, aliisque proximorum necessitatibus soleas succurrere; et erubesce ad tam difformem duci christiano vitae tuae imaginem.

Punctum III. — Considera gloriosum hunc Christi pugilem non secus fecisse, quam ipse suaserit aliis; delatus enim apud imperatorem de fide christiana, etiam adhibitis ab illo omnibus pollicitationum et terrorum artificiis, dimoveri ab ea se passus non est; sed alligari ad palum et innumeris barbarae crudelitatis sagittis scopum destinari, laetus sustinuit. Quomodo te habes circa consilia et doctrinas, quas tra-

dis aliis? An non ex classe eorum es, de quibus Salvator, *dicunt*, inquit, *et non faciunt?* [1]), praecipue ubi in executione aliquantula intervenit molestia et confusio.

Punctum IV. — Considera constantiam sancti Sebastiani in generosis propositis, qui pro mortuo ex loco martyrii asportatus, cum christianae charitatis fomentis vitae esset restitutus, in obvio imperatore libere impietatem redarguit, non aliam expectans mercedem, quam ut ad mortem usque virgis caederetur acerbissime, et abiiceretur in cloacam urbis maximam, unde divino monitu extractus, magnifice fuit tumulatus. Quamobrem, gloriosus Deus *in Sanctis suis* [2]), pro geminata morte, eius amore fortissime obita, tam eximium illi privilegium contulisse visus est, ut telis pestilentiae sauciis, ac proinde certae morti destinatis, salutem adferret suo patrocinio. Quae est tua in arduis pro virtute et Deo conceptis propositis constantia? Hanc humiliter et ardenter, per sancti Sebastiani merita a Deo postula.

De Purificatione B. V. Mariae.

(Die 2. Februarii).

Punctum 1. — Considera miram Beatissimae Virginis humilitatem simul et obedientiam, quae

[1]) Matth. xxiii. 3. [2]) II. Thess. 1. 10.

tanquam minima et ordinaria mater, Christo Domino edito in lucem, per quadraginta dies iuxta legem Moysis mansit, *omne sanctum non tangens, nec intrans sanctuarium, donec implerentur dies purificationis suae* [1]). Pondera hanc eius humilitatem et obedientiam ad quam non tenebatur. Gusta interno gustu suavitatem harum virtutum, causas earum inquire, et confer tuos fastus, vanam gloriam, inobedientiam; confundere, et propone emendationem.

Punctum II. — Considera externas occupationes Beatae Virginis per quadraginta dies suae purificationis, internum animi statum: quam laeta fuerit, quam non curavit hominum opiniones de se, quod putarant eam more aliarum matrum genuisse Puerum Dominum Iesum; et ex omnibus proficere stude.

Punctum III. — Considera oblationem Pueri Domini Iesu in templo Hierosolymitano factam, post quadraginta dies purificationis Beatae Virginis, exactos: quo scilicet modo a Beatissima Virgine, quo a Christo Domino ipso Puerulo peracta sit; quam grato animo suscepta a Deo Patre et sanctis Angelis; et in unione oblationis huius offer te et tua tam bona, quam mala, illa ut confortentur augeanturque, haec ut eradicentur. Offer quoque ipsum Puerum Dominum Iesum pro his ipsis rebus in odorem suavitatis

[1]) Levitic. xii. 4.

Domino, ut per ipsum recipias amplam benedictionem e coelo.

Punctum IV. — Considera causas cur Dominus offerri sibi voluerit post dies purificationis, vel agnum anniculum in holocaustum et pullum columbae, seu turturem, pro peccato, vel si non adesset agnus (uti Beatae Virgini prae paupertate non adfuit) duos turtures, vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccato; et pia moralitate adinventa, fructum inde aliquem spiritualem percipe.

De tribus ss. Martyribus Japonensibus.

(Die 5. Feb.).

Punctum I. — Considera honorem, quem gloriosus Deus Societati nostrae exhibuit, quando ad Filii sui crucifixi pleniorem similitudinem, tres hasce victimas sibi delegit. Perpende quam gloriosum sit regio throno aut curru triumphali sublimari, uti crucem Christi sancti Patres nuncupant. Gratulare hanc illis et nobis gloriam, et ad crucis aestimationem te accende illorum exemplo, ac sancti Pauli spiritu: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* [1]).

Punctum II. — Considera quem apparatum praemiserint sancti Martyres, ut tantae felicita-

[1]) Gal. VI. 14.

tis redderentur participes: 1°, contemptum rerum omnium, ac ipsius vitae. 2°, studium irremissum religiosae mortificationis et abnegationis voluntatis et iudicii proprii. 3°, amorem Dei et proximi, quo libentissime se immolabant in quotidianis meditationibus de vita et passione Christi, ut Duci suo sanguinem rependerent pro sanguine; suoque cruore irrigarent foecundarentque sterilitatem iaponicae Ecclesiae, ad proferendos fructus uberrimos pietatis in recte credentibus. Vide quousque in his tribus virtutibus progressus sis, et ad promerendos speciales Dei favores earundem assume exercitia.

Punctum III. — Considera praeludia gloriosae mortis sanctorum Martyrum: captivitatem plurium mensium, irrisionem publicam per urbium compita, resectiones infames aurium; quae omnia generosi Christi milites sustinuerunt cum gaudio. Quomodo tu leviores afflictiunculas, ac tui contemptus accipis? Sunt tamen ista Regis nostri insignia; haec qui abiicit, ex eius familia se conatur subducere.

Punctum IV. — Considera incredibilem animi magnitudinem, qua imperterriti isti heroës bipennium transadactionem, per devota Deo praecordia exceperint, et gloriosissimo triumpho in coeli palatia evolaverint, ingenti confusione hostium, qui invictos martyres mortalis vitae contemptores admirati, confessi sunt, sanguine suo orthodoxam Religionem confirmasse validissime

quos proinde e coelis Deus, tanquam nova sidera, illustrissima luce collustrare multo tempore dignatus est in terris, ad demonstrandos splendores coelestis gloriae. Quaenam tu adfers ad paria pro Deo et fide certamina, victorias ac triumphos solidae virtutis indicia et praesidia? Accendere tam glorioso exemplo ad similes palmas carpendas, inter haereticos aut schismaticos.

De S. Mathia Apostolo.

(Die 24. Feb.).

Punctum I. — Considera antecessorem Mathiae in apostolatu Iudam, qui fuit *dux eorum qui comprehenderunt Iesum* [1]: quomodo perdito hoc gradu in Ecclesia Domini Dei altissimo, foeda morte extinctus, locum reliquerit sancto Mathiae divinitus reservatum. Ideo time, ne et tu excidas e tua statione; et cave ea, per quae homines excidere solent, facto initio a neglectu rerum parvarum.

Punctum II. — Considera modum quo sanctus Mathias est aggregatus Apostolis, multis nimirum praesentibus, duobus candidatis, ad hoc e numero omnium propositis, ipso Mathia et Iosepho Barsaba; qua in re pondera, quam puro affectu, quam sine respectu inordinati fa-

---

[1]) Act. I. 16.

voris aut odii, hos selegerint, alios excluserint. Examina te, an in ferendis de personis iudiciis, aut de personarum qualitate vel moribus, affectum, aut rectae rationis dictamen sequaris, et si quid sit corrigendum corrige.

Punctum III. — Considera electionem Domini Dei diversam ab humana. Nam cum Mathia propositum Iosephum Iustum, procul dubio ob maiorem famam virtutis sic cognominatum, Dominus Deus non elegit in apostolatum, sed Mathiam, qui tali titulo decoratus non erat. Ita Dominus, qui novit corda omnium, saepe magis illos aestimat, qui ab hominibus negliguntur. Tu igitur assuesce divina iudicia spectare non humana, illisque placere, illa pie ambire, secus humana; quod an facias, vide, et proficere stude.

Punctum IV. — Considera in te simile beneficium electioni Mathiae; nam et te Dominus Deus elegit ad Ordinem apostolicae vitae simillimum, relictis tot aliis melioribus in saeculo. Ideo extolle medullitus divinae charitatis erga te beneficium, et eius vocationi correspondere stude, tuam et aliorum perfectionem serio procurando.

DE CANONIZATIONE SS. IGNATII ET FRANCISCI.

(Die 12. Martii.)

PUNCTUM I. Considera quod quamvis inaestimabilem dignitatem continuo a beata morte assecuti fuerint sancti Patres nostri Ignatius et Franciscus; quoniam similes illos *fecit Dominus in gloria Sanctorum* [1]; ut ab ingressu *in gaudium Domini sui* [2] exultaverint cum ceteris Dei amicis et filiis *in gloria,* et laetati fuerint *in cubilibus suis* [3]; potati *torrente voluptatis* et inebriati *ab ubertate domus* Dei [4]: accessit tamen illis in terris ingens gloriae pondus, cum SS. D. N. Gregorius XV a Spiritu Sancto inspiratus, rite examinatis testibus et tabulis, summo omnium bonorum applausu, inter praecipuos Dei Sanctos gloriose illos triumphare denunciavit. Quanta hinc putas accessit universae tam gloriosi Patris familiae? Edixit hoc Spiritus Sanctus: *Gloria.. hominis ex honore patris sui* [5], et iterum de geminis: *Gloria filiorum, patres eorum* [6]. Pondera hujus honoris magnitudinem, venerare patres tuos, gratulare felicitati, grates exolve Deo, et tanto beneficio congruos affectus excita.

PUNCTUM II. — Considera fines, ob quos divina Bonitas tam speciales favores impendit

[1]) Eccli. XLV. 2. [2]) Matth. XXV. 21. [3]) Ps. CXLIX. 5. [4]) Ps. XXX. 9. [5]) Eccli III. 13. [6]) Prov. XVII. 6.

sancto Patri Ignatio et sancto Francisco dignissimo ejus socio, dum illos non tantum diu ante, inter summos coeli principes collocare, sed coli etiam hodie ab universa Ecclesia voluit. *Primus* est divinae gloriae incrementum; est enim gloriosus Deus *in Sanctis suis* [1]); sicut reges terrae, quibus ex principum numero majore, et illustriori comitatu, splendoris et honoris sit accessio. *Secundo,* devotionis argumentum erga hos Sanctos; uti coluntur palatini, qui apud reges in honore sunt et deliciis. *Tertio,* fiduciae accrementum, eorum praesertim, qui iis, uti summis regum amicis, arctius coniuncti sunt. Quantum apud te crevit horum Sanctorum intuitu divinae Maiestatis appretiatio et reverentia? quantum profecit tua erga hos Sanctos devotio? quae tua est fiducia erga Patres optimos et in filios propensissimos?

Punctum III. — Considera divinorum favorum efficaciam, quam gloriosus Deus ad imploratum horum Sanctorum patrocinium toti orbi contestatum fecit, innumerabilibus iisque maximis prodigiis et miraculis in omni statu, ordine, conditione, aetate, sexu hominum perpetratis. Revolve animo illustriora, annis, mensibus gesta proximis, et quae geruntur quotidie in morbis tam variis periculosissimisque corporis et animi calamitatibus avertendis, conferendis-

[1]) II. Thess. I. 10.

que naturae et gratiae beneficiis eximiis. Quamvis instituti nostri divino Spiritu, illorumque meritis animati, in primo vigore conservatio, perpetuum et obstupescendum sit miraculum. Magnifica Dei in hos Sanctos munificentiam et pete eorum beneficentiam constanter derivari in omnes ope egentes, secundum corpus et animam.

PUNCTUM IV. — Considera quanta nobis singulis incumbat necessitas, ut vitam agamus a gloriosorum Patrum nostrorum vestigiis minime degenerem, juxta efficacissimum innocentis vitae et constantis probitatis stimulum, quem sanctus pater Tobias familiae suae ingerebat: *Filii sanctorum sumus* [1]), quemque ipse dein filius opportune sibi occinuit; ut a Deo, ac speciatim a sancto Patre nostro, cum canonizatis Sanctis ceteris audire mereamur singuli: *Benedictio sit tibi fili mi, quia boni et optimi viri filius es* [2]). Imprime ergo cordi tuo profundissime, atque singulis tuis actionibus ex amussim applica auream illam sententiam: *Filii Sanctorum sumus.*

DE S. IOSEPHO.

(Die 19. Martii.)

PUNCTUM I. — Considera *primam* Sancti Iosephi praerogativam, ex tam praetiosi nominis omine,

[1]) Tob. II. 18. [2]) Tob. VII. 7.

quod sancto Bernardo »augmentum« sancto patriarchae Iacob *filius accrescens* [1]) sonat, nempe ad perpetua in gratia Dei, et coelestibus favoribus incrementa. Cui adeo plene responderunt singulae sancti Iosephi virtutum actiones, ut velut alterum Ioseph in veteri Testamento, apud parum aequos fratres, tunica virtutum polymita, castimonia, vitae innocentia etc. contexta, invidiae illum possent reddere obnoxium. Examina nominis tui omina: hominis ratione praediti, christiani, orthodoxi, Sodalis mariani, religiosi et Socii Jesu; et vide, an, et quo studio singulorum mensuram impleas.

Punctum II. — Considera *secundam* sancti Iosephi praerogativam: quod illi sanctissima Dei Mater desponsata fuerit; quo thesauro inter puras creaturas Deus nihil habuit pretiosius, neque hujus modi felicitatis quaestum ulli alteri contulit. Illum enim caput suae Matris constituit, dum fecit coniugem, quae plenum ius maternum obtinuerat in Dei Filium. Quo tamen privilegio modestissime sanctus Iosephus usus est, cogitans separationem, postquam invenisset illam in utero habere mundi Salvatorem, conceptum de Spiritu Sancto. Qua modestia tu te geris in specialibus Dei favoribus? an praesumis? an eos tibi arrogas ut proprios aut debitos? an vero iis uteris ad Dei gloriam, humili-

[1]) Gen. xlix. 22.

tatis propriae augmentum, alienae afflictionis solatium?

PUNCTUM III. — Considera praerogativam *tertiam* sancti Iosephi, quod inaudita dignitatis excellentia, Pater Dei et dictus sit et creditus. Non obscure id ostendit sanctissama Dei Mater, cum, quadam honoris praecellentia, invento inter doctores in templo Dei et suo Filio, dixit: *Ecce Pater tuus et ego, dolentes quaerebamus te* [1]). Quantum est promum condum panis coelestis, vivae aeternae vitae alimoniae a Deo praefici! quam tenuis est ad hanc Iosephi illius Aegypti salvatoris dispensatio. An digne aestimas participationem hujus felicitatis, cum tibi sacerdoti hic panis vitae in Missae sacrificio ad salutem populi dispensandus, aut in Sanctissimae Eucharistiae Sacramento in teipso augmentandus concreditur? et quibus te meritis aptas tanto muneri?

PUNCTUM IV.— Considera *quartam* praerogativam, et ex D. Bernardi sententia privilegiorum S. Iosephi compendium: »Fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus suae Matris solatium, suae carnis nutritium, solum denique in terris magni consilii coadiutorem fidissimum« [2]). Vide an et tu vitae puritate praebeas Matri Dei sodalis parthenius, solatium; irremisso virtutum ac probi exempli auctario religiosus, corpori

[1]) Luc. II. 48. [2]) Homil. II. super „Missus".

Christi, quod est Ecclesia, desiderabile incrementum; ac denique an magni consilii, Deo sincere omnes salvos fieri exoptantis, in quaerendis et reducendis animabus, socius Iesu, coadiutorem te exhibeas fidissimum. Et compertos in his defectus, exemplo et patrocinio sancti Iosephi, emendare connitere.

De Annunciatione B. V. Mariae.

(Die 25. Martii).

Punctum I. — Considera miram Sanctissimae Trinitatis liberalitatem, ex infinita eius bonitate et amore erga genus humanum profectam, quae, ut copiosam faceret nostri redemptionem a servitute peccati et diaboli, unam Personam divinam destinavit ad opus hoc, in humana natura suscipienda, perficiendum. Admirare tantam Divinitatis beneficentiam, collauda et gratias age ex intimo affectu; et practice delibera, quid proportionatum tantae liberalitati debeas offere Domino Deo tuo, grati animi ergo; et hoc offer.

Punctum II. — Considera sanctum Angelum legationem hanc peragentem ad Beatissimam Virginem: eius externam compositionem, situm, modum quo allocutus est Virginem, denique omnia eius verba, et internos affectus, quibus suum sermonem animabat: *Ave,* inquit, *gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mu-*

lieribus... Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum: ecce concipies in utero et paries Filium, et vocabis nomen eius Iesum. Hic erit magnus et Filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in Domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis... Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi [1]): et ex omnibus decerpe pios affectus erga Dominum Deum, erga Deiparam, erga morum tuorum reformationem, ponderando praesertim haec: 1° *Ave gratia plena;* 2° *Invenisti gratiam apud Deum;* 3° *Regnabit in Domo Iacob in aeternum.*

PUNCTUM III. — Considera Beatissimam Virginem, quo affectu humilitatis et timoris primo exceperit Angelum. *Turbata* enim *est in sermone eius, et cogitabat qualis esset ista salutatio.*[2]) En quomodo etiam Domini Dei Angelo partum coelestem nuncianti noluerit assentiri, ne voto virginitatis quidquam accideret adversi Denique modo conceptus et partus sacrosancto et novo intellecto, assensum praebuit humillime: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*[3]; et ex omnibus proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera Dominum Iesum post haec Mariae verba, in instanti in eius sanctissimo utero incarnatum; quo affectu se carne nostra velavit Verbum Patris aeterni, quo

[1]) Luc. I, 28—35. [2]) Ibid. 29. [3]) Ibid. 38.

affectu anima Christi Domini beata, ab eo tempore Dominum Deum clare videre incipiens, Patrem aeternum adorare amareque coepit; quo ardore obtulerit se ad miserias, dolores, persecutiones, verbera, calumnias, mortem denique ipsam, tui causa suscipiendam. Admirare haec, saluta gratum Hospitem, et mirum Benefactorem. Age gratias pro inchoata tui redemptione, roga eum, ut perficiat; perfectam tibi ut efficaciter applicet, et applicatam copiose conservet, usque ad mortem tuam; et vide, quomodo tibi sit cooperandum Christo Domino ita te redimenti, nam non redimet te sine te.

De S. Adalberto Episc. et Martyre.

(Die 23. Aprilis).

Punctum I. — Considerera Christi Domini Pastoris amorem, qui animam suam dedit pro ovibus suis; quem cognosces, si ponderaveris excellentiam Christi Domini personae, deinde vitam, quam dedit pro ovibus, praeterea animum, quo illam dedit, denique indignitatem ovium, pro quibus eam dedit. Si ergo Pastor tuus, id tui fecit causa, quid te, malam eius oviculam decet facere et pati pro tali Pastore? Cur ergo tam illibenter pateris, cur tam parum facis?

Punctum II. — Considera conditiones merce-

narii, qui videns *lupum, fugit et oves dimittit.* [1]) Si Christus Dominus in mercenario improbat quod oves deserat, an non peius est Christum Dominum Pastorem deserere, vitae prodigum suae? an non peius est eum deserere, non ad lupi, sed ad amici aspectum? Hoc faciunt ii, qui ne contristent amicum, ea faciunt vel omittunt, quae Domino Deo displicent. Si talis es, Dominum Deum placa, et desine talis esse.

PUNCTUM III. — Considera conditionem bonarum ovium Christi Domini: *Vocem,* inquit, *meam audiunt.* [2]) Vox Christi Domini est duplex: praeceptorum et consiliorum, et horum partim descriptorum in Scriptura et regulis, partim scribi solitorum Domini Dei digito in corde, per internas inspirationes: an et quomodo has Christi Domini voces audias, vide, et diligenter audi, et te audire demonstra operibus.

PUNCTUM IV. — Considera alteram conditionem Christi Domini ovium: *Et cognoscunt me meae.* [3]) Qui non cognoscit aliquem virum primarium, non honorat praesentem, non audit monentem, negat aliqua petenti, nec curat longam cum eo conversationem: contraria facit, qui cognoscit. Talis erat sanctus Adalbertus. Tu num talis sis vide, et talis esse stude.

[1]) Ioann. x, 12. [2]) Ibid. 16. [3]) Ibid. 14.

De SS. Philippo et Jacobo Apostolis.

(Die 1. Maii.)

Punctum I. — Considera quam nostri animi pax sit cordi Domino nostro, qui dixit: *Non turbetur cor vestrum.* [1]) Turbatum enim cor, multa bona excludit et non admittit, multa mala parit, quae ponderabis. Reflectere ergo ad te, an, et cur turberis, et tibi consule.

Punctum II. — Considera amplitudinem coeli. *In domo Patris mei mansiones multae sunt* [2]): id est, gradus gloriae diversi, maiores et minores, et quidem tales, qui cum importunitate pene offeruntur nobis, et obtruduntur a coelesti Rege nostro. O si aulicis regiis importune offerrentur et obtruderentur ampla sacerdotia, opulentae praefecturae, quam se putarent felices, quam avide eas arriperent; et non contenti ultimis, ad altissimas aspirarent, idque sine mora. Talium exemplo confundere, et excita te ad desiderium magnae in coelis gloriae, non tam ob tuum commodum, sed ob Domini Dei gloriam, et consolationem Domini tui, et commendationem meritorum Christi Domini, a quibus promanant dona gratiae et gloriae.

Punctum III. — Considera Christi Domini unum munus in coelo: *Vado parare vobis locum* [3]),

[1]) Ioann. xiv, 1. [2]) Ibid. 2. [3]) Ibid.

et in hoc munere: Christi Dei affectum erga nos, diligentiam in parando nobis loco, et efficaciam in tali praeparatione. Admirare Christi Domini benignitatem erga vermiculos suos et catellos, adora pectus tanta charitate aestuans, gratias age ferventissimo affectu; et vide quam ardens esse debeas in tolerandis pro eo malis omnibus, nullo excepto, nisi peccato, et in faciendis bonis, ut aliquo modo correspondeas, tum eius erga te dilectioni, tum ad assecutionem coelestis beatitudinis te praepares.

PUNCTUM IV. — Considera promissam adhuc ulteriorem Christi Domini gratiam: *Si... praeparavero vobis locum, iterum* veniam *et accipiam vos ad meipsum, ut, ubi ego sum, et vos sitis*[1]). Utinam agnito hoc excessu charitatis Christi Domini mutuum ei rependas amorem, et talem semper erga ipsum foveas, ut re ipsa vere dicas cum Apostolo Paulo: *Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura... nec creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu Domino nostro.*[2])

DE S. STANISLAO EPISC. ET MART.

(Die 8. Maii.)

PUNCTUM I. Considera in sancti Stanislai vita, quam ante collatum episcopatum gessit,

[1]) Ioann. XIV, 3. [2]) Rom. VIII, 38, 39.

has virtutes: 1°, et Gnesnae et Parisiis aetate transacta, longe a parentibus, integra castitate domum rediit; 2°, praebebat seipsum exemplum operum, in morum integritate, et verbo irreprehensibili; 3°, ita vivebat, ut adversarii eum venerarentur, nec habebant quod ei opponerent. Tu confer mores tuos, cum talibus eius moribus, confer maiora quae habes auxilia in Religione, cum minoribus quae ille habuit in saeculo, et confundere et proficere stude.

Punctum II. — Considera zelum eius in episcopatu, qui nullius rei metu, ne quidem mortis, destitit ab impediendis et ecclesiastico gladio puniendis, etiam regis ipsius sceleribus. Pondera hanc amoris Domini Dei excellentiam, quae fecit ut sperneret respectus humanos, propter quos tu non omittis omittenda, facis non facienda; et exardesce simili Domini Dei charitate, qua imbutus, malis offendere homines quam Dominum Deum.

Punctum III. — Considera bonam conscientiam sancti Stanislai, et causas quae in eo pepererant tam resolutam fiduciam in Domino Deo, ut obtulerit, se testem mortuum in veritatis testimonium revocaturum a morte. Vide an tu sentias fiduciam circa res leviores impetrandas a Domino Deo, causasque inquire, cur tam parum audeas, et amovere eas, contrariasque virtutes acquirere stude.

Punctum IV. — Considera fortitudinem sancti Stanislai in perferenda morte crudeli, et Domini Dei multiplicia miracula in eius corpore dissecto uniendo, custodiendoque per aquilam, et exaltando; et ex omnibus his ad Domini Dei amorem sanctique huius imitationem te excita.

De B. Aloysio.

(Die 21. Iunii.)

Punctum I. — Considera indefessum laborem quem beatus Aloysius sustinuit, ut se principatu suo abdicare posset, patre id nolente, et impediente omni conatu; quam multas graves difficultates cum imperatore aliisque perrupit, idque non alio fine, quam ut ob Domini Dei gloriam compos Societatis fieri posset. Adora [1]) cor adeo Domino Deo plenum, et mundano fastu vacuum. Gratias illi age, quod tanti fecerit Societatis Iesu institutum. Gaude, quod ad illud vocatus sis, et quidem sine difficultate tanto bono cumulatus, et vide quanto in pre-

[1]) Ita editio Antverpiensis et Pragensis; Bruxellensis autem habet: »Venerare«; Oenipontana vero posuit: Admirare; at nihil videtur immutandum, cum vox adorandi usurpari possit sensu latiori.

tio debeat esse tua vocatio, pro qua tantopere Angelus iste Dei laboravit. Et magnas Domino Deo age gratias, quod tam insigni persona, Societatem honoravit, non tantum coram oculis suis, sed etiam coram oculis mundi; et agnosce quam cara sit Domino Deo Societas ista, ad quam Dominus Deus tam selectas mittit personas.

Punctum II. — Considera quam sancte beatus Aloysius vixerit in mundo, nullo se mortali peccato foedavit, nullam impuram carnis tentationem sensit. Nullam turpem cogitationem, etiam invitus expertus est. Et tamen tam Domino Deo plenus, Deo tam carus, tam a mundi vulneribus liber, mundum fugit! Disce tu mundum execrari, qui tot lethalia vulnera forte inde extulisti. Ama primo post Dominum Deum loco eiusque gratiam, vocationem tuam, et iuxta eius institutum vive, et peccata in saeculo commissa defle amare, et heroicis virtutum actionibus, tota vita tua reliqua frequentatis, Domino Deo pro illis satisfacere stude, ut *ubi abundavit delictum*, superabundet et *gratia* [1]), propter maiorem gloriam Domini Dei.

Punctum II. — Considera modos varios quibus carnem suam innocentissimam Angelus iste enecabat adhuc in saeculo. Adora carnem eius virgineam, osculare os illud apostolica inedia

[1]) Rom. v. 20.

consecratum, manum flagellis se cruentantem, et vide, quas debeas, cum Superiorum licentia, poenas de tua carne sumere, quae Domini Dei Filium toties spiritualiter cruentavit.

PUNCTUM IV. — Considera vitam beati Aloysii: quoad aequales irreprehensibilem, quoad Dominum Deum, unione seraphica semper illi immersum; animam eius, vix ullo levi peccato maculatam, perpetuis autem ferventissimorum operum sacrificiis plenam, et tanquam tabernaculum quoddam divinum, Dominum Deum omni ex parte spirans. Corpus nullo motu inordinato, nullo gestu indecenti indecorum, cor ab inordinatis motibus nunquam perturbatum, sed sanctis agitationibus ac desideriis, gratissimum Domino Deo emittere *odorem suavitatis* [1]) nunquam fere cessans. Confer te huic ideae, confundere, defle tuas foeditates, veniam pete, et statue quantopere eum debeas imitari, propter gustum et consolationem Domini tui.

DE S. IOANNE BAPTISTA.

(Die 24. Iunii.)

PUNCTUM I. — Considera *primam* sancti Ioannis Baptistae praerogativam, quod sit ex ste-

[1]) Eccli. XXXIX. 18.

rili matre conceptus et natus, per preces Zachariae patris, viri sancti impetratus a Domino. Maior Domini Dei concursus in eo apparuit, quam in aliis natis ex foecundis parentibus, et sine praevia oratione. Ita opera illa heroica, quae cum difficultate intrinseca fiunt in re ipsa inclusa, sunt excellentiora, Dominoque Deo grata magis. Talibus frequentandis assuesce, et ea per sanctum Ioannem Baptistam, Domino Deo offer.

Punctum II. — Considera *secundam* sancti Ioannis Baptistae praerogativam, quia ab angelo Gabriele eius ortus praenunciatus est patri, nomenque inditum. Magni faciunt homines, si resciant a rege sui factam honorificam mentionem; plus est nominari, praedicique ab Angelo. Gratulare sancto Ioanni, opta similem felicitatem, imo maiorem, ut scilicet ab ipso Domino Deo cum gustu nomineris in eius mente. Hoc an merearis, et quomodo procures, inquire, et Domini Dei favorem tibi quam maximum conciliare stude.

Punctum III. — Considera *tertiam* praerogativam sancti Ioannis Baptistae, quia prius fuit sanctificatus quam natus; imo repletus Spiritu Sancto adhuc in utero matris suae. Tu confer tuam nativitatem et vitam, et peccata, cum sancto Ioanne adeo sancto; ideoque humilia te, deplora multitudinem peccatorum tuorum, et saltem nunc da operam, ut sis plenus

Sancto Spiritu. Quod quomodo consequi possis, delibera.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* praerogativam sancti Ioannis Baptistae, laudem miram eius: *Erit.. magnus coram Domino* [1]). Quam praeclarum est hoc beneficium, quam utile, quam honorificum. Hoc aemulare, qualis sis in conspectu Domini Dei pondera, et propter magnum gustum Domini Dei, magnus quoque esse cura; ad quod quid sit necessarium cogita, et proficere stude.

DE SS. PETRO ET PAULO APOSTOLIS.

(Die 29. Iunii.)

PUNCTUM I. — Considera verba illa Christi Domini, discipulis dicta: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* [2]) et ea ad te applica, cogitando quid de te dicant alii, ii maxime qui rectius iudicant. Et si quid mali dicunt falso, gaude, gratias Domino Deo age, ora pro talibus; sin vere, emendare cito stude.

PUNCTUM II. — Considera responsum discipulorum, qui etsi scirent multa mala de Christo Domino dici a malignis, ea tamen in genere etiam tacent, sed bona tantum dicunt, *Alii Ioannem Baptistam, alii Eliam, alii Ieremiam,*

[1]) Luc. I. 15. [2]) Matth. XVI. 13.

aut unum ex Prophetis [1]). Tu itane respondes similia quaerentibus, imo non quaerentibus? Et si quid dignum deploratione et correctione inveneris, deplora et corrige; et seminare discordias noli.

Punctum III. — Considera Petri de Christo Domino testimonium: *Tu es Christus, Filius Dei vivi;* idem tu ex intimo affectu dic Christo Domino anathematizando omnes haereses, eius dignitati et fidei contrarias. Gratias age quod sis hac vera fide imbutus, tu et alii, praesertim ii, qui a mala fide conversi sunt ad fidem catholicam. Ora pro conversione plurium, et da operam, ut in filiatione Domini Dei adoptiva, quae sit per gratiam iustificantem, crescas magis ac magis semper, et vide an id procures.

Punctum IV. — Considera praemia sancto Petro data a Christo Domino pro confessione sincera: *Tu es Petrus,* seu Petra *et super hanc.. aedificabo Ecclesiam meam*, portis inferi potentiorem, *et tibi dabo claves regni coelorum, et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis* [2]): singulorum magnitudinem expende, quomodo etiam ad te eadem beneficia suo modo deriventur, vide, et varios affectus pios erga Christum Dominum, et erga sanctum Petrum excita.

[1]) Matth. xvi, 14. [2]) Ibid. 18, 19.

De Visitatione B. V. Mariae.

(Die 2. Iulii.)

Punctum I. — Considera humilitatem Mariae, quae Mater Dei facta, evecta ad summam post Christum Dominum dignitatem, abiit ad visitandam Elisabeth. Examina mores tuos, an in eis splendeat talis humiliatio, quam saepe detrectas eo ire, quo deberes, spiritu superbiae inflatus; quam saepe honores in te mutant mores.

Punctum II. — Considera velocitatem Beatissimae Virginis in adeunda sancta Elisabeth: *Abiit in montana cum festinatione* [1]: qui cito dat, bis dat. Hoc in Domini Dei obsequio imitare: an autem ita facias vide, et ad fervorem in profectu spirituali te excita.

Punctum III. — Considera salutationem Elisabeth a sanctissima Virgine profectam, quomodo, etsi dignior, eam praevenit salutatione; et ea prolata, *exultavit infans* Ioannes Baptista *in utero* beatae matris, *et repleta est Spiritu Sancto Elisabeth* [2]). Omnia haec expende, et ad morum tuorum institutionem refer.

Punctum IV. — Considera verba Elisabeth ad Beatissimam Virginem Mariam: *Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui; et unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me... Beata quae credidisti, quoniam perficientur ea, quae*

[1]) Luc. I. 39. [2]) Ibid. 41.

dicta sunt tibi a Domino.[1]) Singula perpende, et ex his proficere stude.

De S. Cyrillo et Methodio.

(Die 5. Iulii.)

Punctum I. — Considera quod misericordissimus Deus, ab aeterno statuerit te, prae tot millionibus hominum, ante et post Christi adventum, defectu luminis verae fidei aeternum pereuntibus, ad veram fidem perducere, et in sancta sua Ecclesia dilectissimis filiis aggregare, idque ex paterno gratuitae dilectionis affectu, per specialem meritorum Christi applicationem; et quidem ob hunc finem, ut tam sancti corporis Ecclesiae militantis, vivum nunc membrum in terris efficeret, et deinde triumphantis in coelis, gloriosum. Agnosce, tam specialis, gratuitae et aeternae, erga te tam ingratum, beneficentiae magnitudinem. Vide quantum Deo obligatus sis, ut per vivam fidem vitam tuam exornes iis virtutibus, quibus dignum efficiaris membrum tam sancto corpore, atque vicissim, ad aeternam Dei dilectionem, ardentia in te desideria excita.

Punctum II. — Considera quam efficaciter paterna Dei Providentia, ad hoc verae fidei

[1]) Luc. I. 42—45.

lumen, in tempore te adduxerit; dum prae innumeris, ab hoc beneficio exclusis, tali loco, inter christianos, tali tempore, quo fides vera per mundum propagata est; ex talibus parentibus nasci fecerit; et talibus magistris instituendum commiserit, a quibus non tantum per baptismum regeneratus abluereris Christi sanguine, sed etiam ad clariorem semper mysteriorum fidei et rerum ad aeternam salutem necessariarum cognitionem adducereris, et suaviter informareris ad mores dignos christiano homine. Revolve grato animo catenatae huius, ex gratuita Dei erga te indignum dilectione, perfectae beneficentiae magnitudinem, et debita reverentia venerare paternam Dei Providentiam, ab aeterno, pro aeterna tua felicitate et gloria, adeo sollicitam.

PUNCTUM III. — Considera te hactenus specialissimo beneficio, a Deo, Patre amantissimo, in vera fide conservatum, esse stabilem prae innumeris, ne in haeresin, schisma, aut apostasiam labereris, per parentes, pravos magistros, aut perditos socios; aut ne gravioribus contra fidem permissis tentationibus, ab ea sponte excideres. Imo corroboravit auxitque fidei donum in anima et copiosam concessit gratiam, ut vitam ageres conformem fidei; quo tanto sanctius existeres membrum in militante Ecclesia, et in triumphante tanto gloriosius. Admirare immensum aeterni et gratuiti divini amoris affectum

et effectum, ad interminabilem tuam felicitatem et gloriam. Et decerne, qua gratitudine, amore reciproco, zelo perfectionis, vitam posthac velis instituere.

Punctum IV. — Considera Deum ad hanc verae fidei gratiam tibi conferendam, tanquam instrumentis usum esse sanctis Cyrillo et Methodio episcopis, germanis fratribus, qui sancto Divinae gloriae et salutis animarum zelo accensi, amplissimis opibus, commoditatibus patriae, splendoribus familiae contemptis, ex remotissimo Oriente, arduo et pluribus vitae periculis praepedito itinere, ad barbaras has et profunda gentilitatis nocte excaecatas nationes penetrarunt, sanctae fidei luce easdem illuminarunt, inter aerumnas et labores maximos, sudore et orationibus continuis irrigarunt, doctrina et sanctissimae vitae exemplis erexerunt et confirmarunt. Perpende hic, quibus et quam solidis virtutibus instructos esse necesse sit ad huiusmodi munus apostolicum, et quibus nunc modis Instituto nostro conformibus hoc ipsum possimus agere: puta: indefesso literarii profectus conatu, ferventibus orationibus, inflammatis suspiriis ac gemitibus, atque vitae perfectae exemplis.

DE S. MARIA MAGDALENA.

(Die 22. Iulii.)

PUNCTUM I. — Considera statum Magdalenae ante conversionem a peccatis, et confer tuum quoque in saeculo statum cum illa, et actus humilitatis, doloris de peccatis, ac contritionis excita.

PUNCTUM II. — Considera fervorem Magdalenae in detestandis ac deflendis publice peccatis. Non erubuit homines, non subterfugit locum convivii frequentis, non erubuit Christi Domini pedibus advolvi, eos, stando retro, lacrymis rigare, ungere, capillis sui capitis tergere, osculari. Tu qui secutus es errantem, imitare poenitentem, et practice delibera, quomodo hos actus Magdalenae, ex animo peccatorum gravitatem agnoscente, exprimere imitando debeas.

PUNCTUM III. — Considera iudicium temerarium Simonis Pharisaei: *Hic si esset propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier, quae tangit eum: quia peccatrix est* [1]): quasi vero vel omnia scire debeant prophetae, vel si sciant, omnia quae prophetice sciunt, se scire ostendant. Hic tua examina iudicia, quam saepe doctrinam, prudentiam, experientiam, iudicium, ingenium, ser-

[1]) Luc. VII. 39.

mones, conciones, conversationes, virtutem denique; condemnas inepte et temere, et cum alterius iniuria. Agnosce pericula quae inde oriuntur in conscientiae tuae damnum, et damna proximi famae; et si quid est corrigendum, corrige.

Punctum IV. — Considera dulcissimum Cor Domini Iesu peccatricem absolventis, et adhuc prius laudantis coram Pharisaeo, quod quae ipse non exhibuisset, illa fecisset, lacrymis loco aquae pedes rigando, et capillis tergendo, et osculando, et ungendo: *Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ad illam vero: *Remittuntur tibi peccata tua... fides tua te salvam fecit, vade in pace*[1]). Gratulare sanctae Magdalenae, desidera eandem felicitatem, a Christo Domino ardenter pete; quod assequeris, si eum ferventer dilexeris.

De S. Jacobo Apostolo

(Die 25. Iulii.)

Punctum I. — Considera petitionem matris sancti Iacobi et sancti Ioannis Apostoli: *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dextram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo*[2]). Quem in pia matre multi affectum immoderatum vocant, excu-

[1]) Luc. vii. 47—50. [2]) Matth. xx. 21.

sant tamen materna viscera: ut ut est, tu sancto desiderio accendere, ob Domini Dei gloriam et gustum, et daemonis confusionem, attingendi quam altissimum locum in coelo, ut ita magis Dominum Deum colere et amare ibi possis. Qua ratione autem id possis consequi delibera, et manum operi admove.

PUNCTUM II. — Considera Christi Domini responsum: *Nescitis, quid petatis* [1]; quod responsum et illis convenit, qui tunc ignorabant, quantum bonum esset sedere ad latera Christi Domini, et tibi, qui multa petis et desideras non petenda. Discurre per tua desideria circa res, circa personas, circa loca, circa occupationes; et singula, tanquam ad Lydium lapidem, refer ad vocationem tuam, quae esse debet Christi Domini paupertatis, patientiae, humilitatisque imitatio; et resecanda reseca.

PUNCTUM III. — Considera viam, quam Christus Dominus indicat ad consequendam sessionem ad latus suum: *Potestis bibere calicem*, id est, passionem subire mortemque, *quem ego bibiturus sum* [2]. Crucis via est via ad altos accubitus in coelo. Hanc an ames, et cur amare et ferre debeas, recogita, et contrarios in te affectus redargue, et Christum Dominum in ea ferenda iuva, quia ad hoc ipsum adscitus es ab eo in hanc sacram militiam

[1]) Matth. XX. 22. [2]) Ibid.

Punctum IV. - Considera quomodo sanctus Iacobus biberit hunc calicem: primus enim Apostolorum, profuso sanguine Ierosolymis in capitis abscissione testimonium Iesu Christo reddidit [1]). Confer cum hoc calice, et cum vita sancti Iacobi laboribus plena, miseriisque quas toleravit Christi Domini fidem praedicans in Iudaea, Samaria, et Hispania, omnes tuas afflictiones et labores, quam sint parvi et fere nulli, eius laboribus comparati: et tamen quam saepe gemis sub stramineo pondere, et offerens te ad martyria pro fide, verbulum unum ferre non potes aequo animo, et quandoque eas ipse tibi cruces, vanis apprehensionibus imponis, de quibus nemo somniavit. Haec corrige, et te vitae apostolicae conforma.

De Sancta Anna.

(Die 26. Iulii.)

Punctum I. - Considera sanctam Annam tot regum et patriarcharum, quot in Christi genealogia recensentur, sobolem inclytam atque sanctissimam, ab aeterno electam, ut inaestimabili felicitate et dignitate constitueretur mater sanctissimae Genitricis Dei ac avia unigeniti ac consubstantialis Dei Filii, Salvatoris gene-

[1]) Act. xii. 2.

ris humani universi, unde Angelus illam apud sanctam Birgittam appellat «Dei Gazophylacium» quod thesaurum continebat Matrem Dei, super omnia desiderabilem, cui Cor Dei prope erat iugiter. Agnosce eius maiestatem, gratulare felicitatem, pete patrocinium apud Filiam et Nepotem.

PUNCTUM II. — Considera diuturnum in sancta Anna sterilitatis opprobrium, ad quod avertendum usa est exemplo Annae, matris Samuelis, ardentissimis orationibus, crebris ac prolixis ieiuniis, largissimisque eleemosynis, donec Dei iussu moneretur ab Angelo de partu filiae incomparabilis, et Messiae Matris, quam proinde «precationis fructum» vocat Damascenus, ob quem omnis creatura sanctae Annae obstricta sit. Disce probrosam sterilitatem bonorum propositorum et operum foecundari, non refugio ad ullam creaturam, sed recursu ad Deum per praedicta media. Et quos tu experiris orationis fructus? An illos sancti Davidis: *In quacunque die invocavero te, exaudi me; multiplicabis in anima mea virtutem* [1]). Agnoscisne obligationem tuam erga sanctam Annam, ob desideratissimam salutis Matrem, nobis progenitam.

PUNCTUM III. — Considera praestantissimum religionis opus atque exquisitam devotionis speciem, qua sancta Anna filiola sua unica,

[1]) Psal. CXXXVII. 3.

tam diu expetita, tam operose obtenta, moribus amabilissimis praedita, mellitissimo senectutis suae delicio, orbis universi thesauro pretiosissimo, oculis, corde, et vita chariore, orbare se voluit, et trimulam in templo praesentare divino obsequio. Quanti tu Dei gustum in rebus tibi charis appretias? et creaturis sesualitatem tuam perniciose forte foventibus? An accepta a Deo beneficia ad fontalem reducis originem? Examina quid tibi charissimum, illudque Deo consecra, experturus cum sancta Anna (cuius meritis pete pro executione efficax auxilium) divinam bonitatem, liberalitate vinci nesciam.

Punctum IV. — Considera speciali devotione prae Sanctis ceteris colendam esse sanctam Annam, cum plurimum possit apud Filiam suam sacratissimam et Nepotem divinissimum; parentum enim auctoritas apud gratas proles pondus habet maximum. Quid hactenus egisti eius gratiae demerendae studio? Quid ages in futurum? Substitue te pio affectu filiae loco in sanctae Annae familia, et in religiosa domo pari devotione, observantia, modestia, charitate et ceteris virtutibus conare incedere coram Superioribus et aequalibus.

DE S. PATRE IGNATIO.

(Die 31. Iulii.)

PUNCTUM I. — Considera sanctitatem S. Patris tui, qua ante sacerdotium susceptum, in saeculari statu fuit ornatus: summam eius patientiam in persecutionibus magnis, constantiam in propagando Domini Dei cultu, nullis adversitatibus cedentem, ardorem in studio perfectionis rarum, carnis assiduam macerationem in victu et cultu, zelum animarum indefessum, contemptum omnis honoris et commodorum, conscientiae tantam puritatem, ut non modo mortem non metueret, sed eius cogitatione adveniente totus divina voluptate diffluereț. Talis an sis in statu religioso, examina te, et Patri S. te coforma.

PUNCTUM II. — Considera qualem castitatem mentis et corporis a te exigat S. Pater: non minorem angelica. Talem an habeas, vide, et quid tibi desit agnosce, et assequi stude.

PUNCTUM III. — Considera qualis paupertatis voluerit te esse sectatorem, ut scilicet victus, vestitus et lecti ratio, sit ut pauperibus accommodata, et ut ex iis quae domi sunt vilissima expetas. Hoc an in te sit, inquire, et quid emendandum sit, statue.

Punctum IV. — Considera qualem obedientiam tibi commendarit: ut in omnibus praeter peccatum, cuivis officiali obedias tanquam Christo Domino, et opere et affectu, et iudicii conformitate, non expectando praecepta, sed solum signum voluntatis Superioris amplectendo instar praecepti. Et hanc virtutem, tanquam essentialem tesseram, Societatem ab aliis Ordinibus segregantem, esse voluit. Tu quomodo te geras hac in parte, considera; si bene, gratias age Domino Deo, sin male humilia te, veniam a Domino Deo et S. Patre pete, eiusque opem implora ad hoc et ad omnes Societatis regulas sancte semper servandas.

De S. Laurentio Martyre.

(Die 10. Augusti.)

Punctum I. — Considera causas ob quas a Domino Deo grano frumenti comparemur, maxime dum seminatur et moritur, et spiritualiter applicato animae grani frumenti usu, profice.

Punctum II. — Considera Christi Domini gravem sententiam: *qui amat animam suam perdet eam, et qui odit animam suam in hoc mundo in vitam aeternam custodit eam*[1]): et vide, an tu

[1]) Ioan. xii. 25.

amas vel oderis animam tuam in hoc mundo, et statue quid tibi sit faciendum, ut eam in vitam aeternam custodias.

PUNCTUM III. — Considera obligationem tuam de Christo Domino sequendo: *Si quis mihi* ministraverit, *me sequatur* [1]); et vide quid sit eum sequi, et qua in re a te id demonstrari debeat in particulari, ut statuas quid tibi in posterum sit faciendum quidve vitandum.

PUNCTUM IV. — Considera quomodo sanctus Laurentius odio animam suam habuerit, et Christum Dominum secutus est, et quale praemium obtinuerit in hac et in altera vita, eiusque exemplo excita te ad seriam Christi Domini imitationem: in carnis praesertim mortificatione, et patientia in adversis, usque ad contemptum mortis et famae.

DE ASSUMPTIONE B. V. MARIAE.

(Die 15. Augusti.)

PUNCTUM I. — Considera statum in quo fuit anima Beatissimae Virginis morti proximae erga homines, erga Dominum Deum, erga conscientiam propriam; et vide an tibi sit speranda proportionata quies laetitiaque, in illa ultima hora. Unde sequitur, ea nunc amovenda a te

[1]) Ioann. XII. 25.

esse, quae illam impediunt, et comparanda, quae iuvant.

Punctum II. — Considera pios affectus discipulorum Christi Domini Beatissimae Virgini moribundae astantium, quibus te quoque adesse in spiritu puta, et similes in te affectus excita.

Punctum III. — Considera ipsum abscessum animae ex corpore Virginis recta ad coelos petentis, sine ullis purgatorii impedimentis, magnumque Angelorum sanctorum comitatum; et cogita quid tibi sit faciendum, ut similiter ad coelum eas.

Punctum IV. — Considera modum quo fuit Beatissima Virgo in coelum recepta et in solio gloriae collocata, et simul causas tantae gloriae perpende, et a Beatissima Virgine pete, ut te quam simillimum sibi efficiat, propter maiorem gloriam Domini Dei et consolationem eius, et commendationem meritorum Filii eius.

De S. Bartholomaeo Apostolo.

(Die 24. Augusti).

Punctum I. — Considera quomodo se sanctus Bartholomaeus in officio apostoli gesserit: qualem zelum animarum habuerit, ubi Evangelium praedicarit? In remotissimis scilicet provinciis; quomodo nulli labori pepercerit; quam

diligenter in conversionem gentium incubuerit; et facta ad te reflexione, an eiusmodi spiritum habeas, quem habere deberes, dole quod tam frigidus sis, et spiritum sancti Bartholomaei habere stude.

PUNCTUM II. — Considera fortitudinem sancti Bartholomaei in tolerando crudelissimo supplicii genere; contemplare eius infractum animum in sui excoriatione: quam constanter hoc tormentum pertulerit, ut eo similior esset suo Magistro Christo. Tu quam strenuus es, qui morsui pulicis cedis? Quid faceres, si excoriari deberes, cum minimo verbulo et reprehensione prosternaris.

PUNCTUM III. — Considera prudentiam sancti Bartholomaei serpentinam, qui ad instar serpentis per angustam portam et arctam viam coelum intravit, pelle antiqua et mortali, non secus ac Elias pallium, relicta mundo. Hic examina, an pellis tua sit ovinae mansuetudinis, et an indumentum hoc denotet modestiam tuarum actionum. Quod si versipellis es et hypacrita, examina, et a te vitium hoc quamprimum excute.

PUNCTUM IV. — Considera sanctum Bartholomaeum toto corpore fulgentem in coelo, ut qui in toto corpore sit passus; gratulare ei, quod in sua gloria, velut alter Hercules, non pelle leonis Nemeaei, sed propria pelle sit circumdatus. Tu ut in multis corporis tui membris

possis aliquando in coelo gloriari, mortificare ea stude, praesertim quinque sensus.

De eodem Sancto.

Meditatio altera.

Punctum I. — Considera Christi Domini orantis situm corporis, sensuum ac membrorum in illa longa oratione quam praemisit electioni sancti Bartholomaei in apostolatum, compositionem, quomodo se gesserit in usu oculorum, manuum, pedum, linguae, oris, situ denique corporis totius; et hinc necessaria excerpe documenta pro morum tuorum reformatione, quoad res tuas externas in oratione.

Punctum II. — Considera internum statum animae Christi Domini quem habuit in oratione, quomodo occupavit intellectum orando, qua attentione, quibus cogitationibus, circa quae obiecta; quomodo item voluntatem suam habuerit occupatam, in quibus affectibus respectu Dei Patris ad quem orabat, et respectu hominum pro quibus orabat. Confer deinde tuae orationis statum internum, et agnita magna differentia, in posterum Christo Domino te conformare stude.

Punctum III. — Considera circumstantias orationis Christi Domini: 1°, quia exierit orare in montem, remotum locum a turba; 2°, quod ad eam orationem exierit non solus, sed cum

discipulis, ut notat sanctus Ambrosius, tribus: 3°, quod noctu oraverit, tempore quieto, adimens sibi tempus pro somno necessarium; 4°, quod diu oraverit, scilicet tota nocte; et ex singulis decerpe necessaria monita pro tui reformatione.

PUNCTUM IV. — Considera quod Christus Domini in oratione illa petierit: non res sibi necessarias, sed aliis; si ergo tam diu oravit pro alienis, quanto magis oportet te orare pro tot tuis necessitatibus, et quidem magno fervore. Id an facias, inquire, et te emenda.

DE EODEM SANCTO.

Meditatio tertia.

PUNCTUM I. — Considera causas ob quas illa oratio, quam Christus Dominus tota nocte fudit, vocetur *oratio Dei*. *Erat*, inquit, *pernoctans in oratione Dei* [1]); causas autem invenies, si consideraveris, Christum Dominum qui oravit, fuisse Deum, et eum ad quem oravit, et tam perfecta oratione, ut mereatur dici, *oratio Dei*, et tam Domino Deo grata, et adeo expetita ab illo, etiam in nobis; ut etiam ob hoc praeter alia mereatur hunc titulum. Singula istorum expende, et decerpe necessaria pro te documenta.

[1]) Luc. VI. 12.

Punctum II. — Considera occasionem in qua Christus Dominus tam diu oravit, scilicet electionem duodecim personarum ad apostolatum, quod fuit officium, Domino Deo lucrandi homines, praedicatione doctrinae evangelicae, et Sacramentorum administratione. Cuius officii excellentiam indicat, tam longa Christi Domini oratio; cum enim ut Deus, potuerit illa omnia sine oratione praevia praestare, ad quae a Patre impetranda, tam longam orationem praemisit, volens illam ut homo praemittere, ostendit rem esse arduam et praestantem; unde duo, affectu tenero decerpe: 1°, quam cara fuerit salus tua Domino tuo, qui ministros et adiutores salutis tuae, cum tanta praeparatione et labore suo quaesierit; 2°, quam multum debeas Christo Domino, qui te vocando ad Religionem, ad munia Apostolorum benigne vocavit. Et ex utroque capite illos erga Dominum Deum affectus in te excita, quos te grati animi causa excitare par est.

Punctum III. — Considera inter electos praevia Christi Domini oratione Apostolos, fuisse Iudam proditorem, unde disce et practice imprime menti tuae, nunquam condemnare tanquam malas et imperfectas illas actiones, ex quibus aliquando mali eventus sequuntur, vel aliqui abusus, vel hominum offensiones, vel mali fines, vel quid simile; quod tamen causae imputari non debet, sicut nec Iudae malus

exitus arguit Christi Domini malam fuise electionem, aut non sufficientem orationem.

PUNCTUM IV. — Considera cur ii qui Christum Dominum tangebant, sanabantur, tu vero eum non tantum tangis, sed etiam in Eucharistia comedis, idque saepe, et tamen non sanaris ab iis infirmitatibus, animae quae sunt curatu faciliores, quam morbi, quorum curatio non est sita in tua voluntate. Et hinc collige quibus in rebus te emendare debeas.

DE NATIVITATE B. V. MARIAE.

(Die 8. Septembris).

PUNCTUM I. — Considera statum Beatissimae Virginis Mariae, quem ante suam nativitatem habuit in mente Domini Dei, idque ab aeterno, hic autem status in tribus consistit: 1°, quod in Domino Deo tanquam in idea creaturarum omnium nulla pura creatura in sua substantia completa, fuit tam perfecta et pulchra, uti fuit Beata Virgo: 2°, quia nulla pura creatura fuit destinata ad tam magnas res, uti Beatissima Virgo; 3°, quia nullam creaturam Dominus Deus ab aeterno in se cum tanto gustu considerabat ut futuram, sicut Beatissimam Virginem. Ideo congratulare, gaude, Domino Deo gratias age, et perpende quam pulchra res sit: placere Domino Deo, esse gratum obiectum Domino Deo,

exhilarare obiective Cor Domini Dei tui. Hoc expete, et a Domino Deo pete, et impedimenta huius rei amovere a te stude.

Punctum II. — Considera statum Beatissimae Virginis in mundo, ante eius nativitatem, quod scilicet in utero suae matris fuerit sine peccato originali, praeventa a Domini Dei gratia. Qua in re agnosce et admirare Domini Dei benignitatem, qui sine eius meritis, eam tali beneficio affecit; et opta similem Domini Dei tui gratiam, ne tua merita expectans, quae tuis viribus habere nequis, impleat te donis suis; idque Beatissimae Virgini, tibi ut hoc impetret, commenda.

Punctum III. — Considera ipsam eius nativitatem: quam fuerit excellentior omnium purorum hominum: Abrahami, Isaac, Iacobi, Moysis, Davidis, Ioannis Baptistae et aliorum Sanctorum, considerando ea quibus eos superavit nascens Virgo, et ex singulis fructum aliquem spiritualem practicum decerpe.

Punctum IV. — Considera quid debeas Beatissimae Virgini natae offerre donarii ex parte tua, quidve ab ea pro te et pro aliorum necessitatis petere; offer ergo ea, pete necessaria, et una cum Virgine nata uniens oblationes et petitiones tuas, eas Sanctissimae Trinitati repraesenta ad gloriam ipsius.

DE EXALTATIONE S. CRUCIS.

(Die 14. Septembris.)

PUNCTUM I. — Considera illa Christi Domini verba: *Nunc iudicium est mundi* [1]; quibus significatur tam depravatum esse statum saeculi huius, ut de eo dici possit, quod perpetuo subsit iudicio Domini Dei, ob vitia et innumera mala quibus scatet. Gratias Domino Deo age, quod te liberaverit ex statu saeculari, et transtulerit in regiam suam; sed ex altera parte ita vive, ne vita tua mereatur citari ad iudicium Domini Dei, et subesse severo iudicio Domini Dei.

PUNCTUM II. — Considera alia Christi Domini verba: *Nunc princeps huius mundi* (scilicet diabolus) *eiicietur foras* [2], et introspice an daemon habeat aliquem locum in anima tua, quod cognosces ex tribus signis: 1°, ex peccatis, si ea deliberate committis; 2°, ex tentationibus gravibus et importunis; 3°, ex dictaminibus contrariis vitae religiosae et tui Ordinis propriis. Examina ergo te, et si quid a daemone seminatum in anima tua repereris, excute, et eius omnes reliquias eiice.

PUNCTUM III. — Considera et illa Christi Domini verba: *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* [3]; et in his verbis

[1]) Ioan. XII. 31. [2]) Ibid. [3]) Ibid. 32.

perpende Christi Domini crucifixi fructum, qui crucis suae 1°, meritis, 2°, exemplis, trahere deberet omnes nos, ad participationem meritorum suorum, et ad imitationem exemplorum suorum. Tu vide an ita te geras, uti gerunt se ii, qui Christi Domini meritis pleni sunt, et uti procedunt ii, qui Christum Dominum crucifixum, in mortificatione imitantur. Et talis esse stude.

Punctum IV. — Considera et illa Christi Domini verba: *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebrae vos comprehendant* [1]); et tibi puta dicta haec verba, quem Dominus Deus illuminat variis modis interius, et exterius per Angelos, per homines, per lectionem, exempla etc. ut declines ab imperfectionibus, et bonis exemplis te impendas, et opera ordinaria perfecte facias. Vide ergo an hoc divino lumine utaris, ad utilitatem tuam, et quod rectum non est amputa, et te divinis illustrationibus morigerum praebe.

De S. Matthaeo Apostolo.

(Die 21. Septembris.)

Punctum I. — Considera miram Christi Domini electionem, qua Apostolos sibi aggregat, non e flore, sed e fece mundi. Ita hodie elegit Mattheum in telonio sedentem. Admirare Christi

[1]) Ioann. xii. 35.

Domini benignitatem, qui non dedignatur talibus adiutoribus se stipare, nec sanguinis, nec officii, nec virtutis excellentia ornatis. Ideoque magnam concipies spem, posse te quoque in numerum Christi Domini dilectorum venire, tuis non obstantibus peccatis, et multiplici indignitate: roga tamen eum ardenter ut qui non rogantem Iudaeum, suorum in numerum cooptavit, te Christianum et Religiosum sibi caris aggregare velit.

Punctum II. — Considera efficaciam Christi Domini verborum, qui sine longis concionibus, aut iterata vocatione, ut primum dixit Matthaeo: *Sequere me... statim surrexit, et secutus est* [1]) Iesum. Hic admirare efficaciam divinae gratiae, quae tam cito, rem tam arduam, qualis est conversio hominis amori divitiarum inhiantis, perfecit. Ex altera parte inquire, cur tu non habens talia retinacula, tamen Christum Dominum te vocantem ad res faciliores non sequeris? Et deplorata tua obstinatione, et quasi Christi Domini contemptu, exhibeas te Christo Domino morigerum, et ad amussim eius praecepta et consilia interna exequere.

Punctum III. — Considera Matthaei humilitatem, quam duabus in rebus, describens suam conversionem, clare ostendit: 1°, enim proprium suum nomen apposuit, quod alii Evangelistae

---

[1]) Matth. ix. 9.

non fecerunt, dum eius sub cognomine Levi, conversionem narrant, ille suum nomen expressit et officium, ut ita se confunderet magis causa Christi Domini; 2°, convivium non descripsit, quo in sua domo Christum Dominum excepit, quo vocatus est ab eo, quod alii commemorant, ut etiam occultatione huius suae gratitudinis, humilitatis studium foveret. Tu confer exempla haec cum moribus tuis, invenies enim te mala tua occultare, quando patefacienda sunt, et bona si quae sunt, vane propalare, quando occultanda essent; actis denique sancto Matthaeo gratiis, quod Dominum Iesum convivio exceperit, propone emendationem in superbiae et vanitatis mortificatione.

Punctum IV. — Considera plena consolationis verba Christi Domini, quae Pharisaeis murmurantibus, quod cum peccatoribus ageret, dixit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores: non est opus* bene *valentibus medicus, sed male habentibus* [1]). Gratias age Domino Deo tu peccator pro tali promptitudine Christi Domini ad convertendum te, statue te ante illum maxime in Communione, et ardenter roga, ut te sanet, ideoque varios ei morbos tanquam medico benignissimo ostende, et misericordiam pete.

[1]) Matth. ix. 13, 12.

DE SS. COSMA ET DAMIANE.

(Die 27. Septembris.)

PUNCTUM I. — Considera excellentiam beneficii, quo in sui confirmatione Societas illustre membrum ecclesiaticae hierarchiae est constituta. Agnosces illud ex similitudine donatae civitatis; quod ius et favor nemini trubuitur sine attestatione sufficientique probatione honestatis, et spe, quam facit, procurandae utilitatis augendique honoris illius reipublicae. Quam hoc cumalate Societas praestiterit perpende, age Deo gratias, atque roga, ut utrumque hoc deinceps praestare possit copioso Dei auxilio.

PUNCTUM II. — Considera circumstantias temporis, modi personarumque in collato hoc beneficio; eo scilicet tempore, quo acerbissime verbis et scriptis oppugnabatur religionum multitudo et varietas, et quidem a doctissimis et potentissimis Ecclesiae principibus; et tamen isti primi postea fuerunt ac praecipui in approbanda Societate; eo quod (ut palam sunt confessi) sentirent occultam vim interiorem, quae irrefragabiliter eos ad approbandam Societatem, ut manifestum Dei opus, impelleret. Nec minus modus fuit hic mirabilis, cum a Christi Vicario, id est lingua Spiritus Sancti, institutum Societatis *digitus Dei* est appellatum, et a S. Tridentino concilio eximiis encomiis celebra-

tum, diplomatibus apostolicis, ut per omnia pium et sanctum, dilaudatum et confirmatum. Excita in te affectus similes superioribus.

Punctum III. — Considera excellentiam beneficii ex respectu: 1°, ad externos homines, apud quos Societas cum mirabili animorum mutatione reddita est gloriosa, et qui ante eam volebant perditam, nunc suspexerint, laudarint. 2°, cum respectu ad alias religiosas familias, quibus per confirmationem aggregata fuit Societas, et quidem tantillo temporis spatio. 3°, cum respectu ad nos ipsos, qui nunc magna quiete et securitate, imo iucunditate vivimus in Societate. Gratias age Christo Iesu, qui se nobis propitium fore spopondit, et vide ne ingratus vivas, aut ab ea, tua culpa avellaris tamquam ovis scabiosa a grege innoxio.

Punctum IV. — Considera alia eximia beneficia prioribus addita a Dei bonitate. Quantum enim per hunc pusillum gregem pro Dei gloria, Ecclesiae utriusque bono effectum est in scholis, templis, et exedris, domi, forisque, apud orthodoxos et acatholicos, gentiles et barbaros, sociis in omnes mundi partes dispersis, in tam arduis et periculosis functionibus, tanta doctrina, sapientia, virtutis et sanctitatis opinione. Age quas potes Deo gratias, et pete ne te sinat a sanctorum Patrum vestigiis exorbitare, aut degenerare; et inde quid tibi agendum sit, ut haec beneficia sint perpetua, nimirum ut

strenue divinae gratiae coopereris in imitandis istis sanctis Patribus. In tantum enim laude Dei, honore et amore totum Societatis corpus dignum est, in quantum id singula eius membra merentur. Quod an et quomodo procures vide, et ad id procurandum auxilium pete.

DE S. WENCESLAO DUCE ET MARTYRE.

(Die 28. Septembris.)

PUNCTUM I. — Considera quantum intersit in teneris annis bene educatum fuisse. Nam quo semel est imbuta recens... Hoc praeclare apparet in sancto Wenceslao et Boleslao fratribus geminis. Hic impiam matrem Drahomiram sortitus, cum lacte depravato mores etiam impios suxit: ille Ludmillae sanctae traditus, ab eadem etiam omnem sanctitatem imbibit. Teneri tui anni, sunt aut fuerunt in tyrocinio, nutricem sortitus es mansuetissimam matrem Societatem, quae te per patres spirituales suavissimo rerum spiritualium lacte pascit. Examina te, quomodo huius nutricis pia monita et consilia amplectaris, quia quae tyro seminasti, metes veteranus.

PUNCTUM II. — Considera quod nihil obsit in via divini servitii proficere volenti, nec honores in eo mutare mores, qui Christum serio imitari conatur. Huius rei exemplum egregium

nobis exhibet sanctus Wenceslaus, qui ad culmen regni sublimatus, nihil de coepto fervore remisit, sed cum augmento honoris, virtutes et pietatem auxit; noctes enim in oratione impendebat, templa obibat, ad funera itabat. Hic te examina et vide, quid te iuvaret munere aliquo Societatis fungi, si munere boni Religiosi fungi desineres; quid enim profuit Iudae apostolatus ad salutem, quid multis fuisse episcopos, imperatores, reges? Hoc rumina et si in te deprehenderis spiritum defervescere, te emenda.

Punctum III. — Considera quod non desint adversarii illi, qui sancte vivere cupit; semper enim virtus aemulos habet. Sic ringitur Drahomira contra Wenceslaum, et rumpitur invidia, struens technas et insidias, quibus eum de medio tollat. Rhadislaus princeps Curimensis ad arma provocat, et tandem nolens volens coactus arma Wenceslaus capessere, nonnisi cilicina veste et crucis signo se munivit, sicque hostem prostravit; ita diabolus movet omnem lapidem, ut hominem vel tantillum in arrepto proposito impediat. Impedit nos invidiosissimus impostor triplici telo, nimirum hasta, gladio et seipso, hasta eminus nos petit, creaturis; gladio cominus, carnis stimulo; et tandem seipso, dum in animo nostro varia desideria inordinata ingerit. Examina te quomodo te adversus haec geras, et pro futuris te arma.

Punctum IV. — Considera venerationem eius

in coelis et in terra, tanquam Christi athletae generosissimi fortissimique pugilis, qui cum antiquo serpente luctatus vicit, et triumphator coelum ascendit, excepturus bravium aeternum a Domino suo Christo. Tu vide an ita generose pugnes contra peccata, ut Christum merearis tui certaminis habere e coelis spectatorem cum omnibus Sanctis suis; si succumbis, confundere, et per intercessionem sancti Wenceslai pete arma coelestia, quibus contra omnia adversa muniaris, et a Beatissima Virgine virtutem contra hostes tuos.

De S. Michaele Archangelo.

(Die 29. Septembris.)

PUNCTUM I. — Considera verba Christi Domini de advocato parvulo et in medio discipulorum constituto: *Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum* [1]); in quibus verbis tres praeter alias parvulorum laudes perpende: 1°, quod sine ficto, dolo et astu vivant; 2°, quod puri sint; 3°, quod tractabiles et prompti ad exequenda imperata. Tu an talis sis in his rebus, quibus te possis commendare Domino Deo, vide, confundere et te emenda.

[1]) Matth. XVIII. 3.

Punctum II. — Considera alia Christi Domini verba: *Quicunque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic maior est in regno coelorum* [1]). Examina ergo cogitationes tuas, desideria, offensiones internas, amaritudines animae, gestus, motus, dicta, actus, an sapiant hanc parvulorum innocentiam et humilitatem, et corrigenda corrige.

Punctum III. — Considera quantopere sint cavenda scandala, quorum occasione tam severam Christus pronunciat sententiam: *Qui... scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris. Vae mundo a scandalis... vae illi homini per quem scandalum venit... si oculus tuus,* vel *manus tua,* vel *pes... scandalizat te, erue.., abscinde.., et proice abs te* [2]). Inspice itaque mores tuos, an domi et foris ita te geras ut immunis sis a malis exemplis, et si quid emendandum adverteris, emenda, consideratis causis ob quas id facere debeas.

Punctum IV. — Considera dignitatem tuam, quam assecutus es ex Domini Dei beneficio. Nam et tibi illud congruit Christi Domini dictum: *Videte ne contemnatis unum ex... pusillis istis, dico enim vobis: quia angeli eorum... semper vident faciem Patris mei, qui in coelis est* [3]). Gratias itaque age Domino Deo tuo quod tales

[1]) Matth. xviii. 4. [2]) Ibid. 6—9. [3]) Ibid. 10.

tibi dederit defensores et duces, eosdem nimirum, quos fecit curiae suae coelestis honorarios assessores; et mirare Domini Dei benignitatem, ac Angelis et praesertim sancti Michaëli omnium principi humillimas age gratias, quod cum sint excellentis naturae, tam pleni coelesti gloria, non dedignantur esse Patroni tui. Ex altera parte inspice mores tuos, an tales sint quibus non offendantur Angeli; an tales, qui ostendant te obedire ductui et directioni angelicae. Quod si aliqua invenies deploranda, deplora, et emendanda emenda; ac veniam a Christo Iesu, Beatissima Virgine Maria, et a sanctis Angelis pete, emendationemque eis in aliquibus rebus particularibus promitte.

DE S. ANGELO CUSTODE.

(Die 2. Octobris.)

PUNCTUM I. — Considera miram Domini Dei benignitatem, qui singulis hominibus, etiam pessimis, a nativitate eorum dat, et ad finem mundi etiam ipsi Antichristo daturus est Angelum Custodem, cuius officium est: hominem suae curae commissum variis modis a peccatis avocare, et a malis mentis et corporis defendere, ac inducere in bonum. Quam Domini Dei benignitatem ex tribus agnosce: 1°, ex praestantia naturae angelicae, quae longe superat huma-

nam; 2°, ex multiplici hominum indignitate, tum naturali ex naturae defectibus orta, tum morali ex tot peccatis perpetuo pullulante; 3°, ex statu in quo omnes hi Angeli sunt in coelo, perpetuo Domini Dei faciem in summa gloria intuentes. Gratias ergo Domino Deo age ingentes, et sanctis Angelis, et cogita quam gratus esse debeas et Domino Deo et sanctis Angelis suo modo.

Punctum II. — Considera humilitatem ut ita dicam, SS. Angelorum, qui et naturae donis et gratiae et gloriae te superantes, tamen non dedignantur esse *administratorii spiritus,* ut loquitur Apostolus, *missi in ministerium,* hoc est ad serviendum iis, *qui haereditatem* capiunt *salutis* [1]), imo et eorum, qui de ea nihil boni credunt. Nulla autem alia causa est, quod tantopere se Angeli demittant, quam sola voluntas Domini Dei, qui id ab eis exigit, et amor nostri, quos omnes salvos esse, et ab omni malo liberos bonoque omni plenos vellent. Inspice ergo te, an tu te demittas, ad obsequia respectu tui humilia, uti est cura nostri respectu Angelorum. An tu ita alios ames pure, uti illi nos amant; et ad exemplum illorum mores tuos conforma.

Punctum III. — Considera modum quo sancti Angeli te custodiunt, triplicem: 1°, enim preci-

[1]) Hebr. I. 14.

bus pro te, partim in coelo, partim e terra fusis, te iuvant; 2°, per internas inspirationes te dirigunt, quod facere non possunt dum sunt in coelo, quia non possunt agere in distans, atque ita intra te existendo, et species commovendo in capite, varia obiecta tibi repraesentant, per quae cognoscas mala vitanda, bona facienda; 3°, extrinsece defendunt te, amovendo multa mala et pericula, vel te a multis malis et periculis eripiendo, vel mala ipsa impendentia subtrahendo. Unde gratiis tenerrimis actis, pro hac triplici custodia, vide quomodo te gerere debeas, ut eorum custodiae correspondeas.

PUNCTUM IV. — Considera quo affectu tuus Angelus in tui custodia versetur; an scilicet des illi laetitiae, aut loquendo nostro more, moeroris causam: et prout in te inveneris, proportionatum affectum elicias, vel gratiarum actionis, vel doloris, et venia ab illo implorata, promitte illi emendationem, et te tuaque ei commenda ardenter.

DE S. FRANCISCO BORGIA.

(Die 10. Octobris).

PUNCTUM I. — Considera qualis fuerit sancti Francisci e familia ducum oriundi ab ineunte aetate mortificatio, et quod a decimo anno corpus disciplinis afflixerit, quas etiam in aula

et nogotiis saecularibus continuavit, ubi piam et valde exemplarem vitam duxit; compara tua aetatem et iuventutem cum illius moribus et mortificatione, et dissimillem invenies. Erubesce, defle, et praeteritorum veniam pete.

Punctum II. — Considera quaenam fuerit occasio in illo contemptus mundi et desiderii perfectioris status, videlicet, imperatricis post mortem cadaver deforme et foetidum; hoc spectaculum in suiipsius vilitatisque propriae exactam cognitionem illum deduxit, et tam altas in eo egit radices, ut de perfectioris vitae statu serio inceperit cogitare, donec ab aliis impedimentis liber, Domini Dei cognoscens voluntantem, in Societatem a S. Patre Ignatio admitteretur, relictis honoribus, ducatu, divitiis, et omnibus saeculi commoditatibus. Vide quoties occasionem habueris, ut in tui devenires cognitionem, et Domini Dei voluntatem agnosceres, et quam fueris in tua vocatione instabilis saepe, et dubius, et quomodo a Domino Deo ad Religionem, indignus licet, ductus fueris. Gratias age pro hoc beneficio, propone constantiam, pete auxilium.

Punctum III. — Considera qualem se praebuerit in Religione a primo ingressus die, quomodo fuerit quasi lux splendens quae processit et crevit usque ad perfectam diem, praesertim in humilitate, non alio se subscribens nomine in literis quam «peccatoris», in suiipsius contem-

ptum: deinde qualis fuerit in mortificatione assidua carnis, sensuum, passionum, iudicii proprii et voluntatis, in obedientia exactissima, in paupertate summa. Gratias age Domino Deo, quod tale nobis in illo exemplar reliquerit, inspice quantum ab ipsius distes virtutibus, licet ad easdem obligeris. Inquire media ad eas obtinendas, certoque tibi persuade, te sine illis solo Religiosi nomine gaudere.

PUNCTUM IV. — Considera Domini Dei cum hoc sancto liberalitatem, qui adeo brevem ipsius in hac vita contemptum, humilitatem, aliasque virtutes, magna gloria compensando, nomen ipsius adeo in hoc mundo omnibus hominibus innotescere fecit; et in futuro saeculo pro momentanea et levi tribulatione aeternum et immensum illi gloriae pondus contulit. Et vide quid tibi patiendum et faciendum sit, ut ad illum terminum pervenias. Aspira ad heroicarum virtutum exercitium, si magnam hic Domini Dei gratiam, et ibi gloriam consequi cupis. Et Domino Deo gratias age, quod tali Sancto Societatem ornare voluerit.

DE EODEM SANCTO.

Meditatio altera.

PUNCTUM I. — Considera vitam beati Borgiae ante ingressum in Societatem fuisse sanctissimam, cuius haec sunt indicia: 1°, quia virginitatem

illibatam conservavit usque ad statum matrimonii. 2°, quia fuit adeo spiritualis, ut etiam tempore venationum pias considerationes haberet valde altas. 3°, quia etiam saecularis aliquot tractatus spirituales edidit et imprimi curavit. 4°, quia obesus enormiter cum esset, prae desiderio Societatis ita se extenuarit, uti scimus ex eius vita. Tu gratias age Deo quod eum talem in saeculo fecerit, et collata vita eius saeculari cum tua saeculari, agnosce magnam diversitatem. Ideo dole de peccatis, et procura, ut saltem in Religione sis tam purus, tam spiritualis, tam mortificatus, uti ille fuit in saeculari statu.

Punctum II. — Considera eum esse vocatum ad Societatem a Beatissima Virgine, quamvis propenderet ex se ad statum alterius Ordinis. Hinc agnosce, quam placeat Beatissimae Virgini Societas, ideoque ama illam, et ita vive in ea, sicut praescribit in regulis suis. Quas quomodo serves examina te, et corrigenda corrige.

Punctum III. — Considera vitam eius in Societate, qualis fuerit erga Deum, in tam longis orationibus quotidie, nam quinque horas praemittebat Sacrificio Missae; quotidie confitebatur bis, ut se purissimum Dei oculis praesentaret. Tu vide quomodo in his duabus rebus te geras, et si quid perficiendum vel emendandum sit, perfice et emenda.

PUNCTUM IV. — Considera inter res, per quas Societatem conservandam putabat, ex parte nostra, esse obedientiam, et meditationis sive orationis studium. Vide ergo, quomodo te geras in his, et corrigenda corrige.

DE SS. APOSTOLIS SIMONE ET JUDA.

(Die 28. Octobris.)

PUNCTUM I. — Considera curam quam Christus Dominus nostri habet, dum non consilium sed praeceptum, verbis significantibus proponit: *Haec mando vobis, ut diligatis invicem* [1]): ut ita nobis persuadeat efficacius, mutuam charitatem. Tu quomodo Christi Domini mandato obedias, examina te, adductis in memoriam iis personis, ad quas non usque adeo propendes, ut videas, quae desint ad officia sincerae dilectionis, illis exhibenda potissimum a quibus aliquid passus es.

PUNCTUM II. — Considera causam desiderabilis odii servis Domini Dei, scilicet vitam a mundana discrepantem: *Quia de mundo non estis... propterea odit vos mundus* [2]). Vide an odio sis mundo, et quam ob causam; si propter mores tuos inconditos, merito id pateris; si quia ne displiceas Domino Deo, non vivis ad gu-

[1]) Ioann. XV. 17. [2]) Ibid. 19.

stum hominum imperfectorum, beatus es, gaude et exulta, quia hoc est pati propter iustitiam, et Christo Domino conformari.

Punctum III. — Considera illa verba Christi Domini: *non est servus maior Domino suo* [1]); et ex his bene cognitis, assuesce in rebus omnibus deteriora eligere, citra peccatum, in victu, vestitu habitatione, usu rerum aliarum, in contumeliis, convitiis, calumniis, iniuriisque aliis, quia servus non debet esse melioris conditionis, quam sit Dominus tuus, qui tui causa, haec omnia summo cum gaudio toleravit. Hoc ergo exemplo accendere ad heroicam tui victoriam, in rebus omnibus tuo gustui, voluntati, iudicio, commodo, honori praesertim contrariis, et bonae famae ac opinioni de te aliorum.

Punctum IV. — Considera nullam te habere causam excusandi imperfectiones tuas, post tot Christi Domini praevia et sancta exempla, tibique convenire suo modo illa verba Christi Domini: *Si non venissem et locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo* [2]). Quibus ponderatis, da operam, ut rebus ipsis et factis ostendas, te exequi ea omnia, quae Christus Dominus verbis et exemplis docuit.

[1]) Ioann. xv. 20. [2]) Ibid. 22.

In Dedicatione templi.

PUNCTUM I. — Considera primum modum, quo templa Domino Deo dicata honorari debent, scilicet, vitando in eis omnes impuras, et turpes actiones, etsi alibi licitas. Cum ergo Domino tuo dicatus sis anima et corpore, vide quomodo ab illicitis turpitudinibus mundus omnino esse debeas. Confundere itaque, deplora peccata tua, quibus tam saepe inhonoras hoc templum, et serio te emenda et purum conserva, propter gustum Domini in te habitantis.

PUNCTUM II. — Considera secundum modum quo templa honorantur die et nocte, precibus et Sacrificiis Domino offerendis; hinc agnosce quomodo debeas perpetuo, quantum fieri potest, actiones tuas ita Domino Deo offerre, et pro Domino Deo elicere, ut sis perpetuum sacrificium Domino Deo, spargens odorem suavitatis. Talis an sis, vide, et talis esse stude.

PUNCTUM III. — Considera modum qui templa cohonestat, esse ornatum varium, eumque non prophanum sed sacrum; sacras picturas, et similia. Tu animam tuam introspice, quas intra, quas in oculis, aliisque sensibus repraesentationes foveat, et statue quid te deceat,

cum etiam membra tua vocet apostolus, *templum Spiritus Sancti* [1]), non tantum animam.

Punctum IV. — Considera quartum modum honorandi templa, quod eius supellectilem sacram non liceat ad usus vanos convertere, ob Domini Dei reverentiam, cui sunt dicata. Cur ergo tu linguam tuam, non sacris occupas colloquiis? oculos, non necessariis aspectibus, et sic alia. Exardesce igitur desiderio ingenti, ita mundum et sacrosanctum reddere, Domini Dei ope, animum et corpus tuum, cum omnibus potentiis, membris, sensibus et actionibus eorum, ut in te habitet cum magno gustu suo Spiritus Sanctus, imo omnes Divinae Personae, et sancti Angeli, tanquam huius templi ministri et curatores libenter assistant, et omnia impura arceant.

De SS. Martyribus templi nostri.

Punctum I. — Considera multos Martyres fuisse aliquando Domini Dei inimicos, ob defectum fidei, vel vitae bonae, sed postea Domini Dei beneficio conversos; gratulare talibus, gratias age Domino Deo, et spe sancta accendere, tanquam is, qui non obstantibus tot peccatis tuis praeteritis, possis elevari e stercore,

[1]) I. Cor. vi. 19.

ut sedeas cum principibus populi Domini Dei, idque ut fiat, adhibe sanctos Martyres intercessores.

PUNCTUM II. — Considera motiva quae habes, ad spem hanc acquirendae sanctitatis magnae augendam. 1°, infinitam Domini Dei bonitatem. 2°, eius amorem erga genus humanum. 3°, infinita Christi Domini merita, qui est caput tuum et frater tuus. 4°, Christi Domini preces et Coelestium. 5°, preces tot fratrum et merita, quorum es particeps. 6°, media a Christo Domino in Religione et Ecclesia relicta pro hac re; tantum da operam tibi ne desis, et iis utaris.

PUNCTUM III. — Considera acerbitatem tormentorum varii generis, quae sanctos Martyres sunt passi Christi Domini causa. Gratias age illis pro hac re, et praecipue Domino Deo, cuius ope ea sunt passi. Confer tuas molestias omnes, cum eorum suppliciis, et confundere, quod res leviores ferre patienter nolis Christi Domini causa.

PUNCTUM IV. — Considera quo affectu et honore colas Sanctorum horum reliquias, quas eo quoque fine Dominus dedit huic Ecclesiae, ut colerentur a te dilecti Domini Dei, utque auxilia ab iis quoque mendicares. Quare vide quid te operteat facere hac in parte.

A) PUNCTA MEDITATIONUM

PRO COLLECTIONE ANTE RENOVATIONEM VOTORUM

dum per triduum fit ante illam collectio, pro qua sunt hic posita puncta quaterna pro singulis meditationibus, si quis ter in die illas facere voluerit Prima: «De renovatione amoris erga animam» fieri potest pridie tridui; undecima vero, ipso die renovationis. Qui vero quatuor meditationes vult facere, singulis diebus (uti olim fiebat a non occupatis in scholis), positae sunt infra duodecim meditationes accommodatae ad renovationem spiritus et votorum. Denique sunt tredecim, et aliae decem meditationes pro eadem re.

PRIMA SERIES.

Meditatio I.

De renovatione amoris erga animam.

Punctum I. — Considera animae tuae excellentiam, tum naturalem, qua res omnes sublu-

nares superat; tum supernaturalem intrinsecam, quam habet ex gratia iustificante, ex virtutibus, donis Spiritus Sancti et auxiliis divinae gratiae supernaturalibus, ad eius bonum et ornatum ob Christi merita a Deo dari solitis; tum extrinsecam, scilicet ob finem propter quem creata et redempta est, nimirum Deum ipsum et eius visionem beatificam; tum ob media praestantissima ad consequendum hunc finem, videlicet: Sacramenta, eorumque usum, et bonorum operum frequentationem, et exempla Christi et Sanctorum: et tot extrinseca auxilia et bona quae catholici in Ecclesia, et peculiari modo religiosi in Religione percipiunt, eaque copiosa, et facile, et summo cum animae bono, modo nobis ipsis non desimus. Quae omnia cum in animae beneficium, ob Christi sanguinem pro ea effusum, a Divina Maiestate concessa sint et concedantur, accendere ingenti amore animae tuae, quam Deus tanti fecit et facit, ut ei tot concesserit, et concedere non cesset media, pro eius bono.

PUNCTUM II. — Considera an et quomodo amorem praeterito tempore erga animam tuam habueris et factis ostenderis; quod agnosces (ut vili, propter maiorem confusionem et tui emendationem, exemplo utaris) consideratis illis Christi verbis: *Nonne anima plus est quam esca?* [1])

[1]) Matth. VI. 25.

Si enim maiorem amoris affectum factis ostendisti erga escas (eas praesertim, quae tuo palato magis arridebant) quam erga animam tuam, vere fuit tibi praecedenti semestri vel anno minus quam esca. Quatuor autem potissimum inquire hac in parte: *Primo*, an cum eo animo te contuleris ad eas occupationes, quibus anima per meritorum cumulos apud Deum impinguatur, cum quo te ad sapidarum escarum usum conferebas? *Secundo*, an ita sine taedio in saturanda anima bonis operibus ac meritis versabaris, sicut in saturando corpore in prandio longiore escis? *Tertio*, an ita cum horrore, nausea et quadam iracundia reiiciebas peccata animae noxia, sicut reiicere solebas escas palato tuo non arridentes? *Quarto*, an inter bona opera et merita ita deligebas pro tuo spirituali usu, quae cernebas esse meliora et perfectiora, sicut solebas meliores escas optare, et offerente se occasione deligere? Et, si ita ut par est iis in rebus te gessisti, Deo gratias age, perge feliciter: sin minus, confudere, magis quam Esau, qui pro vili pulmento primogenituram perdidit, quae tamen non fuit tantum bonum, uti est anima tua, cuius amori escarum vilissimarum amorem praetulisti.

Punctum III. — Considera Dei amorem erga tuam animam admirabilem, in his praesertim rebus declaratum: *Primo*, quod te et animam tuam ad eundem finem creavit, cuius

finis possessione ipse Deus beatus est, scilicet claram divinitatis in aeternitate intuitionem. *Secundo,* quod propter varia animae tuae mala avertenda, et bona conferenda, Deus ipse animam suam posuerit, morte atrocissima a corpore innocentissimo avulsam. *Tertio,* quod pro solatio animae tuae et utilitate, cibum divinitatis et humanitatis admirabilem, et tam obtentu facilem in Ecclesia praeparaverit. *Quarto,* quod toties ab anima tua laesus, gravius quam soleant homines ab hominibus, te non abiecerit, sed potius novis et maioribus beneficiis in dies afficiat. Ideo accendere erga Deum magna dilectione, gratias ei age ferventissimas, et exclama cum David: *Domine... quid est homo quod memor es eius* [1]), et cum sancto Iob: *Et dignum ducis super huiuscemodi aperire oculos tuos?* [2]) eundemque roga, ut tibi infundat tantum tuae animae amorem, quanto eam ipse prosequitur, cum sit aequius, ut eam ipse magis ames, quam ament alii.

PUNCTUM IV. — Considera modos quibus deinceps ostendere factis debeas amorem erga animam tuam adeo praestantem, adeo a te praeterito tempore neglectam, adeo a Deo et Christo amatam.

Modi autem saltem similes esse poterunt iis, quibus ostendis amorem erga corpus tuum,

[1]) Psal. VIII. 5. [2]) Iob. XIV. 3.

erga vestes tuas, erga cibos tuos, et erga res alias viliores tuas, circa quae, et fugis sine magnis praemeditationibus ea omnia, quae primo intuitu agnoscis esse noxia, et quaeris ea, quae prodesse possunt; quibus ponderatis dic cum sancto David: *Nonne Deo subiecta erit anima mea? ab ipso enim salutare meum*[1]), et statue aliqua deinceps partim cavere mala, partim quaerere et retinere bona, idque in particulari non in genere.

Meditatio II.

De renovatione amoris erga inimicos, vel potius eos amicos, qui tibi praebuerunt vel praebent causas afflictionum, uti sunt, qui nostros defectus superioribus deferunt, et qui eos puniunt, et alii.

Punctum I. — Considera te utpote religiosum, ad maioris perfectionis studium obligatum, quam sint obligati saeculares, debere magis et perfectius eos, qui tuarum molestiarum sunt causa, diligere. Cum ergo Christus a saecularibus quoque exigat, ut diligant inimicos suos et benefaciant his, qui oderunt ipsos, orent pro persecutoribus et calumniatoribus suis[2]): multo magis et perfectiori modo id exequi debes. Quod an et quomodo facias, considera,

[1]) Psal. lxi. 2. [2]) Matth. v. 44.

et deploratis lapsibus circa hoc tuis, te serio emenda.

PUNCTUM II. — Considera, bona quae tibi offeruntur ex amore eorum, qui te affligunt, et ex molestiis ac persecutionibus aliorum: haec sunt merita et dona gratiae et gloriae omnibus mundi thesauris, honoribus delitiisque maiora et meliora. Sicut ergo mundani, v. g. avari, si scirent ob amorem inimicorum, et ob persecutiones et iniurias brevi aliquo tempore toleratas, certo se consecuturos ingentes divitiarum thesauros, libentissime amarent inimicos, iisque benefacerent et tolerarent molestias tuis maiores: sic tu fer aequo animo omnia ob spem bonorum aeternorum, quae non sunt alia, quam Deus ipse, Deique per eius visionem, amorem et fruitionem aeterna possessio, malo omni carens, bonis omnibus plena. Agnosce ergo et emenda caecitatem tuam, qui cum Deum noris, eiusque bonorum tibi praeparatorum praestantiam, minoris tamen ea facis, quam inania illa bona quibus te privari putas, per adversarios tuos auctoresve molestiarum tuarum.

PUNCTUM III. — Considera gravia mala purgatorii poenarum, quae vel prorsus evadere, vel magna ex parte minuere potes, dilectione eorum qui te molestant vel laedunt, et earum quas afferunt molestiarum; sunt enim mala illa omnibus mundi calamitatibus graviora. Sicut

ergo amares inimicos tuos etiam gravissimos, et omnes illorum molestias tolerares libenter, quae te nunc conturbant, si certo crederes te posse aut crurifragium aut colicos, calculique cruciatus longissimos, et lentae sed acerbae adustionis dolores, aliave mala vitae praesentis evadere: ita nunc omnes molestias et earum auctores debes diligere, ut hoc remedio multo graviora vitae futurae supplicia subterfugias.

Punctum IV. — Considera te esse Dei aeterni adoptivum filium, idque non temere ad hanc dignitatem divinitus electum, sed ut in te, quemadmodum ait sanctus Leo, quasi in quodam speculo divinae benignitatis forma resplendeat. Cum ergo haec sit vera filiorum Dei nota, Christo teste, qui amorem inimicorum commendans, causam subdit: *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est; qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* [1]). Accendere ergo ad heroicam illorum dilectionem, qui falso mundi iudicio, videntur tibi inimici, cum sint maiores amici quam ii, qui suis laudibus viam tibi ad offensam Dei sternunt; et tibi de coelo illud monitum demitti puta, quo excitabat P. Ignatius Azebedius suos fratres dum traherentur ad martyrium, et P. Balthazar Alvarez ad fervorem operum heroicorum

[1]) Matth. v. 45.

in suis excitandum utebatur: «Nemo degeneret a praeexcelsis cogitationibus filiorum Dei».

Meditatio III.

De renovatione amoris erga domesticos et aequales tuos.

PUNCTUM I. — Considera quanto in pretio sint apud Deum omnes domestici tui, sunt enim redempti Dei Sanguine, cibantur Dei Corpore, et Sanguine reficiuntur, sunt domestici et servi honorarii Dei, amici eius et sponsae eius: quibus ponderatis, magnam omnino de omnibus concipies opinionem et sinceram dilectionem in te excitabis.

PUNCTUM II. — Considera, *primum* effectum amoris erga alios esse, ne illos unquam ulla re culpabili contristes, quod quam sit fugiendum diligenter agnosces ex praecepto divino olim Iudaeis dato: *Servum Domini tui* cum *ad te confugerit non contristes* [1]). Si ergo Iudaeorum, Dei rebellium tantam Deus ipse rationem habere voluit, quanto magis habet fratrum tuorum, servorumque suorum sibi charissimorum? Examina ergo defectus hac in re tuos, et placa quam primum contristatos, et propone emendationem.

PUNCTUM III. — Considera *secundum* effectum amoris erga proximos tuos, ne illis ulla

[1]) Deut. XXIII. 15, 16.

re noceas, sive id sit exemplo sive consilio malo, sive laudando mala, sive improbando eorum bona, sive absentibus detrahendo, sive praesentes contumelia vel ignominia afficiendo. Quod quam sit tibi fugiendum, agnosces si ponderaveris illa verba Dei: Qui vos tangit, *tangit pupillam oculi mei* [1]). Quod multo magis convenit religiosis, utpote Deo charioribus, quam olim Iudaeis, a Deo tandem derelictis. Idem, si perpenderis illud Christi: *Quod uni de fratribus meis minimis fecistis, mihi fecistis* [2]). Quod quomodo observes, vide, defectus detestare, et te inposterum emenda.

Punctum IV. — Considera effectum amoris erga aequales tuos domesticos, ut eos iuves in necessitatibus et utilitatibus eorum tum spiritualibus, tum aliis, sive id a te petant sive non. Cuius rei necessitatem perspicies, si discusseris tenero cordis affectu illud Dei monitum in gratiam Iudaeorum non ita sibi charorum: *Si videris asinum fratris tui aut bovem, cecidisse in via, non despicies, sed sublevabis* [3]) eum etc. Si igitur alienorum boum et asinorum tantam curam commendat Deus, quantopere vult haberi a nobis ex pura charitate curam domesticorum suorum, tot modis, ut in primo puncto ponderatum est, sibi adstrictorum. Vide ergo quomodo subvenire debeas necessi-

[1]) Zachar. II. 8. [2]) Matth. XXV. 40. [3]) Deut. XXII. 4.

tatibus et commodis, fratrum tuorum licitis, saltem iis modis, quibus subvenis iis, quos prae caeteris magis diligis.

Meditatio IV.

De renovatione amoris erga Superiores.

PUNCTUM I. — Considera gradum dignitatis in quo sunt positi a Deo Superiores tui: sunt enim Dei et Christi loco, vices eius obeuntes. adeo ut Christus palam de iis dixerit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* [1]). Inquire ergo an tua de Superioribus iudicia, verba, honor quem eis exhibes, obedientia quam praestas, amor quem erga illos geris, sint talia qualia esse deberent erga Christum; et defletis, si qui erunt, tuis hac in re defectibus seriam propone emendationem.

PUNCTUM II. — Considera, *primum* effectum amoris erga Superiores debere esse, ne illos tuis procedendi modis contristes, ponderando iuxta secundum orandi modum Apostoli verba: *Obedite Praepositis vestris, et subiacete eis; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris, reddituri ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes* [2]). Quod quomodo hactenus observaveris, vide, et si quid sit deplorandum et corrigendum, deplora et corrige.

[1]) Luc. x. 16. [2]) Hebr. XIII. 17.

Punctum III. — Considera *secundum* effectum amoris erga Superiores esse debere, ut sis tanquam erga medicos tuarum infirmitatum, quibus ob acerbiorem curationem et amara pharmaca non debes (uti solent similes ob causas medicis corporum infirmi) offendi. Quod advertes necessarium esse, spectatis maioribus malis et periculis spiritualium morborum tuorum, quam sint in morbis corporum, et maiore bono sanitatis animae, quam sit sanitas membrorum. Detestare ergo lapsus hac in parte tuos, et cave deinceps.

Punctum IV. — Considera *tertium* effectum amoris erga Superiores esse debere, ut sis tanquam erga parentes tuos, qui te Deo spiritualiter gignunt, qui amor in obedientia iudicii, voluntatis, et executionis emicare debet, in honore externo, et in filiali erga eos interno affectu. Quae tria quomodo in te locum habeant, inquire, quam cordi esse debeant, agnosce: si non tantum Deo, sed etiam hominibus charus esse volueris, et securus a magnorum malorum periculis, et pace interna et externa frui, qua, durae erga Superiores cervicis subditi, gaudere non solent, et tandem pereunt.

Meditatio V.

De renovatione amoris erga Deum.

PUNCTUM I. — Considera causas amandi Deum quam maxime, maximas: 1°, ipsius excellentiam et bonitatem infinitam; 2°, beneficia eius erga te, tam magna et tam multa, communia et propria, naturalia et supernaturalia, praeterita et futura: in quibus omnibus, uti etiam in ipsis malis poenae temporalis, purissima eius erga te charitas elucet; quae bona cum in Deo et secundum se, et respectu tui considerata, sint multo maiora quam in ulla pura creatura: ideo eum non tantum appretiative (loquuntur theologi) sed etiam intesive amare magis deberes, quam ullam creaturam; quod an facias vide, et si non fecisti hactenus, confundere et te emenda.

PUNCTUM II. — Considera, *primum* amoris erga Deum signum seu effectum esse debere, ne illum unquam contristes. Peccata sola sunt deliberate commissa, quae, humano more loquendo et iuxta phrasim Apostoli, *Spiritum Sanctum* contristant [1]), nec tantum graviora, sed etiam levia; siquidem, ut ait sanctus Basilius: «Licet verbum ipsum quod dicitur, genere ipso de numero sit bonorum, tamen nisi ad aedificationem fidei dirigatur, nequaquam propterea quod bonum sit, liber sit a periculo, qui illud

[1]) Ephes. IV. 30.

locutus sit, quippe qui ex eo quod ad aedificationem illud non accomodaverit, contristare noscitur Spiritum Sanctum Dei». Si ergo talia contristant certo quodam modo Deum, quanto magis his graviora, quibus es obnoxius; ideo defle tam multos lapsus tuos, veniam pete, et inposterum cave; et vel unum saltem e praecipuis annotato, a quo ad sequentem renovationem votorum prorsus sis liber, ut ne semel quidem Deum eo contristes.

Punctum III. — Considera, *secundum* signum et effectum tui erga Deum amoris esse debere, ut eum, eiusque gratiam ac benevolentiam pluris facias quam homines, praesertim confidentes tuos, eorumque gratiam et benevolentiam, quod esse necessarium, certo credere quivis pius et fidelis debet. Hinc autem omnino sequitur, debere te omnes humanos respectus calcare, tunc dum vel exemplis vel dictis sociorum induceris ad facienda vel omittenda ea per quae Deus offenditur, gratiaeque eius augendae occasio perditur. Examina ergo te, quorum magis benevolentiam consecteris: Deine an sociorum? Et si quid vitiosum sit, serio et cito reseca, consideratis accurate illis Christi verbis: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me,... aut filium aut filiam super me, non est me dignus* [1]).

[1]) Matth. x. 37.

PUNCTUM IV. — Considera, *tertium* effectum amoris erga Deum esse debere, ut quemadmodum inter amicos usuvenit, ut omnia tua sint cum illo communia, quod tunc fiet, quando omnia et singula opera tua deliberate facta erunt bona; id est, bono fine et modo facta: ita ut possis illa Christi Domini et Capitis tui verba vere usurpare: *Ego quae placita sunt ei, facio semper* [1]). Qualia ergo sint tua opera, saltem ea quae ad Deum spectant, inquire; et vide, an sint Deo digna: et in hoc potissimum tui renovationem sitam esse puta, ut ita deinceps ordinaria opera tua renoves, ne et fine pravo vel otioso, vel deliberati peccati labe maculentur, et in novitate spiritus fiant omnia; quod a divino Spiritu per Christum et Sanctorum merita ardenter et assidue pete, et ex parte tua procura.

Meditatio VI.

De renovatione amoris erga Religionem tuam.

PUNCTUM I. — Considera tenerum illum affectum, quo in Religionem admitti in saeculo petieras, eam et omnes res eius prosequabaris, et vide an in te nunc creverit, vel defecerit iste affectus; si defecit, time tanquam initium ruinae tuae, quia iam incipis retro respicere, et te disponis ad illam Christi maledictionem:

[1]) Ioann. VIII. 29.

Nemo... respiciens retro aptus est regno Dei [1]). Quod si, Dei beneficio, cum aetate crevit in te erga statum tuum affectus, Deo gratias age, et pete ut eum semper magis augeat, tanquam magnum calcar ad magnum in vita spirituali profectum.

Punctum II. — Considera primam radicem diminuti affectus esse, diminutam in Religione vivendi probitatem; quae dum in flore erat, affectus quoque non mediocris erga vocationem religiosam vigebat, crescitque inquantum ipsa vitae perfectio crescit, ut certa et quotidiana experientia demonstrat. Ideo excute torporem tuum, et considera quam multis peccatis et in saeculo, et alibi offendatur Dominus tuus, qui te tot beneficiis suis obligatum habet; et ardenter exopta, et procura compensare quodammodo omnia hominum peccata, vitae sanctimonia, et operum tuorum accurata perfectione. Quod an, et quomodo facias, cogita, et talis esse stude.

Punctum III. — Considera secundam radicem, ex qua oritur diminutio erga Societatem prioris boni affectus, esse cordis dissipationem ad res et occupationes non spirituales; quae dum sapiunt, res divinae intra quas est ipsa religiosa vocatio et status, non sapit. Nec enim cor humanum res tam contrarias fovere

[1]) Luc. IX. 62.

potest; «sicut ergo hortum tuum (ait sanctus Basilius) nolles repletum urticis; herbisque inutilibus, bonos flores suffocantibus: ita aequum est, a corde arcere illas omnes res, circa quas dissipatum, et aridum versatur». Introspice ergo, quae sint res istae, sive eae sint vana obloquia, sive otium, sive familiaritates, sive alia; et sicut te Deo devovisti, ita totus Deo plenus eiusque rerum gustu esse stude.

PUNCTUM IV. – Considera, tertiam radicem quae reddit insipidam religiosam vocationem, esse practicam oblivionem tuae religiosae obligationis seu officii tui, quae in eo sita est, ut saltem ea quae sunt tui Ordinis essentialia: et ames, et illibata conserves, nihilque iis contrarium admittas. Inter esentialia autem Societatis sunt duo potissimum: *Primum*, obedientia voluntatis et iudicii et executionis perfectissima, non tantum imperio, sed minimo Superioris nutui et signo sese conformans exactissime. Qua etiam re tanquam forma essentiali nos voluit esse ab aliis Ordinibus distinctos S. P. N. Ignatius; *secundum*, contemptus omnium rerum quae mundus amat et amplectitur, cum amore rerum contrariarum coniunctus, quem regula [1]) praescribit. Vide ergo quomodo haec duo in te vigent; non vigere autem agnosces, si aegre fers dum ea quae expetis negantur, si deferri

[1]) Summarii 9.

punirive defectus tuos non sinis, si commodius vivere desideras quam vixerit Dominus tuus cum Apostolis suis Sanctique tui Ordinis. Examina ergo te, defle defectus tuos, et seriam emendationem Domino tuo promitte, quae non erit difficilis, si cognoveris te ad eam quadam necessitate gratitudinis et utilitatis tuae obligari, tot Dei beneficiis, tot Christi calamitatibus tui causa toleratis, tot poenarum suppliciis, quae quotidie pro altera vita promereris, tot praemiis in coelo paratis.

Meditatio VII.

De renovatione amoris erga paupertatem.

Punctum I. — Considera, paupertatem essentialiter in eo sitam esse, ne quidquam contra voluntatem Superioris pro te accipias, vel dones alteri, vel commutes, vel facias rem pretio aestimabilem, aut ea utaris; et ne rem ullam contra voluntatem Superioris acquisitam retineas, eaque utaris. Tu examina te quomodo hac in parte te gesseris, et tuae conscientiae consule, iis modis, quibus consuli potest, ne tanquam proprietarius habeare in iudicio Dei.

Punctum II. — Considera, laedi paupertatem etiam iis rebus, quas putas te cum licentia Superiorum habere, si eae sint superfluae, quia Superiores non possunt dare licentiam pro rebus superfluis, et si eam dent, nihil valet in

iudicio Dei, uti est declaratum a Concilio Tridentino et interpretibus Cardinalibus. Ideo examina te: 1°, an habeas duplicia in rebus usui tuo destinatis a te. 2°, an habeas superflua; et reseca si quae sunt talia.

PUNCTUM III. — Considera, paupertatis perfectionem exigere, ut res necessariae omnino pro tuis usibus, sint paucae et viles, et non pretiosae. Quomodo autem te hac in re geras considera, et pauper esse ad Christi imitationem et exemplum stude, tum non aegre ferendo incommoda cubiculi, vestium, ciborum, aliorum utensilium, siquidem non habebis unquam tam vile et sordidum cubiculum, uti fuit Christi, in quo natus est, stabulum.

PUNCTUM IV. — Considera perfectionem paupertatis in Societate exigere praxim regulae XXV-ae [1]) in qua dicitur, «victum, vestitum, et lecti rationem fore, ut pauperibus accommodatam, et unumquemque sibi persuadere debere, quod quae vilissima erunt ex iis, quae domi sunt, ei attribuentur, propter ipsius maiorem abnegationem et spiritualem profectum». Tu examina te circa duo: 1°, quomodo te gesseris in praxi huius regulae? 2°, quomodo te debeas inposterum gerere, et non aegre ferre, nec conqueri, si eo modo a Superioribus tracteris; nec dicere,

[1]) Summarii.

dum tibi tribuuntur vilia, quod te Superior velit mortificare.

Meditatio VIII.

De renovatione amoris erga obedientiam.

Punctum I. — Considera obedientiam tuam debere esse perfectiorem obedientia famulorum saecularium fideliter Dominis suis servientium, et causas huius rei inquire. Si ergo famuli saeculares, ii praesertim, qui serviunt eo fine, ut ditescant, et ad honorifica officia promoveantur, exactissime exequuntur mandata suorum Dominorum, nec discutiunt ea, sed prompte, et caece exequuntur, multo perfectius debes exequi iussa tuorum Superiorum.

Punctum II. — Considera aequum esse, imo necessarium, ut in obediendo Christum Dominum ac Deum tuum imiteris; si ergo ille, tui causa *factus* est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* [1]): agnosce, te eo usque debere pertingere obediendo. Examina nunc omnia difficillima, ob quae tibi antea imposita conturbabaris, murmurabas, forte et de deserendo Christi obsequio cogitabas, et videbis quam longe distent a morte crucis; et te resolve ad facienda et toleranda omnia, quae tibi iniungentur, et quae tibi non concedentur.

[1]) Philipp. II. 8.

PUNCTUM III. — Considera personas quibus Christus obedivit tui causa, tum sibi addictas, uti erat Beatissima Virgo et Ioseph; tum sibi offensas, uti erant Annas, Caiphas, Herodes, Pilatus, nihil aliud quam sui perniciem quaerentes; et confer has personas cum Superioribus tuis, et vide quam iniquum et impium sit, eas male tractare, eis non obedire, de eis conqueri, cum non sint erga te tam maligni, uti illi quibus obedivit Christus Dominus etiam mortis suscipiendo sententiam, et tot alia mala poenalia tolerando.

PUNCTUM IV. — Considera voluntatem S. P. Ignatii, volentis per solam obedientiam nos dignosci ab aliis Ordinibus. Hinc disce, praecipuum tuum studium esse debere, ut in obediendo excellas, conformando te, et tua, voluntati et iudicio, et imperio manifesto, imo et nutui ac inclinationi tuorum Superiorum. Defle ergo contrarios defectus, et vitam in melius muta deinceps.

Meditatio IX.

De renovatione amoris erga castitatem.

PUNCTUM I. — Considera ideam castitatis nobis in regula praescriptam, a qua iubemur niti ad imitandam «angelicam puritatem corporis et mentis nostrae munditiam». Qua in re duo pondera: 1°, verba Beati Patris hac de

re, quae non carent mysterio. «Quae, inquit, ad votum castitatis pertinent, interpretatione non indigent, cum constet, quam sit perfecte observanda»; 2°, quanta sit nostra felicitas, qui ope Dei possumus contendere ad imitationem angelicae puritatis.

Punctum II. — Considera, primam conditionem angelicae puritatis in eo sitam, quod nunquam admiserint ullum vel minimum defectum contrarium castitati, imo nec potuerunt hac in re peccare. Tu igitur da operam, ut nunquam hac in re Deum offendas, et adeo fortis sis, et in bono firmatus, ne, loquendo moraliter, etiam hac in re possis peccare, eo saltem sensu, quo castissimus Ioseph ab impura femina sollicitatus, respondit: *Non possum hoc malum facere et peccare in Deum meum* [1]). Haec verba pondera, et cum habeas maiora auxilia ad talem fortitudinem quam habuerit Ioseph, saltem exempla Sanctorum, erubesce si tantum non potes praestare in expellendis internis et externis illecebris.

Punctum III. — Considera Angelos non tantum a peccatis contrariis castitati, sed etiam ab inordinatis motibus esse liberos. Hac in re imitari possumus Angelos, si ex parte nostra conemur ne demus occasionem et materiam inordinatis motibus et tentationibus contrariis

[1]) Gen. XXXIX. 9.

castitati; quod fit dum oculos sinimus vagari libere, dum legimus res curiosas et non mundas; dum nimio potu, somno, cibo distinemur, et his similibus. Qua in re quomodo te geras vide, et defectus tuos defle, et aliquos annota ut caveas.

PUNCTUM IV. — Considera motiva ad quaerendam angelicam puritatem, quae possunt esse exempla in veteri lege sancti Ioseph, Susannae; in nova Christi et aliorum Sanctorum, praesertim nostrae Societatis. Item tot auxilia regularum, et alia, quibus ponderatis, agnosce quam facile possis esse hac in parte perfectus, et quam dignus sis magna reprehensione divina, ob defectus tuos.

Meditatio X.

De poenitentiarum studio renovando.

PUNCTUM I. — Considera causas seu motiva quae te excitare possint ad usum poenitantiarum exteriorum, motiva autem sunt: satisfactio pro peccatis praeteritis, facilior apud Deum impetratio eorum quae petis, maius meritum gratiae, maius praemium paratum, et alia; quibus singulis ponderatis, accendere magno desiderio tuam carnem affligendi.

PUNCTUM II. — Considera exempla Sanctorum omnium, praesertim Societatis, qui fuerunt inimici carnis suae, eamque variis modis afflixerunt, et quia vocatus es ad Societatem, ut in

ea sanctitatem acquiras, quam sine imitatione Sanctorum non assequeris, eos quoque in poenitentiae exterioris studio et usu imitare.

Punctum III. — Considera quibus poenitentiis utereris, si certo crederes te ob aliquod factum capitali supplicio esse affligendum in conspectu numerosissimae civitatis, refertae principibus viris ad hoc spectaculum advocatis; procul dubio eas omnes, quas refugis, quas viri sancti habuerunt in usu, libenter amplectereris. Cur ergo id non facis spectante te Deo, et Sanctis eius, cum graviores multo poenas, et in hac vita et in altera merearis, ob tua saltem venialia peccata.

Punctum IV. — Considera modos, quibus potes, ob bonum tuum et Dei gustum, tuam carnem in eius membris et sensibus affligere, potissimum gustum, aspectum, tactum; et glorioso studio accendere ad hanc mortificationem frequentandam.

Meditatio XI.

De renovatione amoris erga quatuor vota, ipso die renovationis votorum.

Punctum I. — Considera paupertatem a sancto Patre nostro Ignatio appellari in Constitutionibus «matrem et murum Religionis» [1]): unde sequitur, te eam debere diligere tenero animi

[1]) Reg. Summ. 23, 24.

affectu, uti solent boni filii bonas matres; et ita debere eius integritatem tibi esse cordi, uti solet esse cordi murorum integritas iis intra illos, qui a ferocissimis et potentissimis hostibus obsidentur. Examina ergo an in te sit iste erga paupertatem affectus, et dum occasiones paupertatis non quaesitae se tibi offerunt, et in experimentis eius ultro a te quaesitis; et si quid renovandum inveneris, renova deinceps, et opem pro hac re a Christo, tui causa facto pauperrimo, pete.

Punctum II. — Considera castitatem tuam talem esse debere, quae merito vocari possit, phrasi sancti Patris Ignatii: «Puritas angelica in perfecta corporis et animi munditie sita» [1]), quae quam sit per se excellens, quam digna amore tenerrimo in cogitationibus, verbis, factis, omissionibus rerum variarum, pondera.

Punctum III. — Considera obedientiae excellentiam, quae ut S. Pater ex sancto Gregorio ait, «omnes virtutes inserit, insertasque custodit» [2]); quos effectus quomodo pariat, et quantopere sit ob eos amore digna pondera, et quomodo in ea te exerceas, inquire; et si quid emendandum sit emenda. Quod ut efficaciter praestes, invoca ferventer Dominum tuum:

[1]) Reg. Sum. 28. [2]) Epist. S. P. N. Ignatii «De virt. obedient.» n. 2.

qui tui causa *factus* est *obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* [1]).

Punctum IV. — Considera quarti voti, quo te obstrinxisti Domino tuo, necessitatem ad vitam quiete traducendam, utilitatemque ad magnos quos affert cumulos meritorum, dum Dei causa, per indifferentiam perfectam, ut iumentum te Deo exhibes, nullum certum locum seu statum in eius aula eligendo, sed eum volendo amplecti, quem Superiores praescripserint, etiamsi sit infimus, talentisque tuis et meritis inferior et minor. Quod quam sit gratum sacrificium Deo et plenum odore suavitatis, si proficiscatur ex animo propriae existimationis, famae et honoris contemptore et amatore novissimi loci in domo Dei, perpende; et offer te plene Deo, petasque affectuosissime ab eo, qui, *cum in forma Dei esset, exinanivit semetipsum* [2]) tui causa et se Barabbae nefario latroni postponi voluit, ut semper sis et habearis abiectus in domo Dei, propter amorem Dei et Redemptoris tui.

[1]) Philipp. II. 8. [2]) Ibid. 6, 7.

SECUNDA SERIES.

Meditatio I.

De observatione regularum in genere.

(Post orationem praeparatoriam, et praeludia solita).

PUNCTUM I. — Considera te debere regulas omnes servare 1°, quia propter hoc ingressus es Religionem hanc, quae sine observantia regularum, tanquam sine nervis eam sustinentibus, consistere non potest, 2°. quia in ipso ingressu ad Religionem et saepe postea, et Superioribus et Deo promisisti te velle eas observare. Sicut ergo ephoebus regis, vel intimus cubicularius ambiens gratiam regis, ad amussim servat omnia mandata et monita regis sibi data, et valde tristatur, si rege conscio aliquod omittat: ita multo magis tu debes esse sollicitus de observantia regularum tuarum. Sunt enim partim mandata Regis coelorum, quoad vota, partim monita, quoad alia. Vide ergo quantopere tristari debeas, dum aliquod votum vel regulam transgrederis, etiamsi nullus mortalium id sciat; et quantopere conari debeas, ut omnes regulas serves, conferens praemia quae Deus et in hac vita statim, et in altera vita, suo tempore, confert servis suis pro regularum observantia, infinities maiora iis bonis et remu-

nerationibus, quae non semper dantur famulis fidelibus et diligentibus regum.

Punctum II. — Considera difficultates, et incommoda, et adversitates, quas experiuntur et patiuntur famuli regum, etiam in ipso palatio regio manentes: tot defectus in cibo et potu, tot invidias et aemulationes, tot irrisiones et opprobria, tot detractiones et infamias, tot molestias et labores in assistendo regi, in serviendo illi tota die, ut vix habeant commodum tempus et sufficiens pro comedendo et dormiendo. Horum exemplo agnosce felicitatem tuam, qui in Religione minora incommoda pateris quam regum famuli, et maiore libertate frueris, ut possis tuis personalibus occupationibus attendere. Quocirca tanto magis Deo servias in observatione regularum, praesertim earum, quae praescribunt modum, quo nos gerere debeamus in actionibus ad immediatum Dei cultum spectantibus, uti sunt: Missa, horae canonicae, meditationes, examina. Quomodo autem te gesseris hactenus in his, examina te, et corrigenda corrige.

Punctum III. — Considera magni faciendas esse nostras regulas; quia sicut aliorum Ordinum regulae sunt profectae ex inspiratione Spiritus Sancti, ut Christus Dominus revelavit sanctae Birgittae [1]): ita et Societatis nostrae Insti-

[1]) Revel. l. vii. c. 20.

tutum, quod in regulis est expressum, fundatum est a S. P. N. Ignatio, Sancto Spiritu inspirante, quemadmodum aliquod Romani Pontifices diserte asseruerunt; imo, ut patet ex historicis Societatis, a Deo ipso revelatum nostro sancto Fundatori. Quocirca si magnus esset Dei contemptus, si monita aliqua immediate ab ipso Deo tibi praescripta non servares, putans ea tibi esse a Deo tradita: multo magis violatio regularum a te non fit sine quodam Dei contemptu: quia certius est, eas esse a Deo immediate traditas sancto Fundatori, qua certitudine tu non posses agnoscere, tibi aliqua immediate a Deo commendata esse, cum non haberes hac de re testimonium apostolicae Sedis, et aliud Divinum quale habuit sancta Birgitta de regulis religiosorum.

PUNCTUM IV. — Considera verba Christi Domini dicta beatae Mariae Magdalenae de Pazzis, nostrae Societatis a pueritia usque ad mortem spirituali filiae, cui inter viginti monita Christus Dominus dixit: «Aestimabis tuam regulam et constitutiones eius, simul cum votis, quantum me aestimas». Pondera hoc accurate, et vide quantopere etiam tibi esse debeat cordi exactissima nostrarum regularum observantia.

Meditatio II.

De observatione regulae 2-ae Summarii.

Punctum I. — Considera verba secundae regulae Summarii, in qua dicitur, finis esse noster: «Saluti et perfectioni propriarum animarum «cum divina gratia vacare, et cum eadem im«pense in salutem et perfectionem proximorum «incumbere». In quibus verbis perpende praestantiam huius finis, et ob eam, praestantiam nostri Instituti: siquidem nullus alius fuit finis Christi incarnationis, vitae, passionis et mortis, quam ut his mediis nostram salutem et perfectionem procuraret. Idem et Apostolorum vitae ac praedicationis finis fuit. Quocirca ut Christo Domino tuo correspondeas, excita in te amorem salutis et perfectionis tuae et proximi.

Punctum II. — Considera quomodo hactenus quaesieris perfectionem tuam in Societate. Quod agnosces ex his: 1°, an quolibet anno sis factus perfectior, sicut factus fuisti doctior et prudentior et senior aetate; 2°, an in te nunc sint tam perfecti actus virtutum, simplicitatis, humilitatis, patientiae, obedientiae, mortificationis affectuum, sicut fuerunt tempore novitiatus. Et hinc decerpe aliquam utilitatem, praesertim ut deplores tuam incuriam, in omissa tuae perfectionis cura; et te emendes.

Punctum III. — Considera quomodo hactenus quaesiveris salutem et perfectionem dome-

sticorum tuorum, quod hinc agnosces: 1°, an sentias in te desiderium ardens et frequens, et quasi dulciter inquietum, fratres tuos iuvandi in spiritu et faciendi meliores; 2°, an ex conversatione tua, ob tua bona exempla et consilia et colloquia, aliquis sit factus melior, vel certe minus malus. Et ex harum rerum consideratione, excita te ad emendandum ea, quae domesticis in te nocuerunt, et conare, ut eos inposterum adiuves in spiritu.

PUNCTUM IV. — Considera an et quomodo causa fueris, ut externi per te in salute et perfectione sua sint promoti, et ut supra, hinc aliquem spiritualem fructum decerpe.

Meditatio III.

De observatione regulae 9-ae Summarii.

PUNCTUM I. — Considera debere te (si vis in Societate perseverare ad mortem) saltem illas regulas servare, quae sunt substantiales nostri Instituti, alioqui cur Societatem ingressus es, si non vis servare tales saltem regulas? Hanc obligationem, etiam politice rem considerando habes, siquidem et cives mundani et rustici in pagis, dum se civitati et pagis incorporant, obligant se ad servandas leges et statuta illius civitatis et pagi ad quem se transferunt, ut in eo perpetuo degant. Cum ergo aequius sit, ut religiosus sit perfectior

in suo statu, quam saecularis civis et rusticus in suo: debes solius rationis naturalis ductu, etiamsi non essent ulla supernaturalia motiva, nec coelum, nec infernus, subdere te regulis tui Ordinis, praesertim substantialibus; siquidem etiam ethnici et athei viventes in communitate, nihil de praemio coelesti et inferno post mortem credentes, accommodant se, et subiiciunt se statutis suae civitatis et legibus omnibus, receptis ab incolis loci illius.

Punctum II. — Considera inter substantialia Instituti esse regulam 9-am Summarii: «Con-«tentum esse debere unumquemque, ut omnia «quae in eo notata fuerint per quemvis, qui «extra confessionem ea acceperit, manifestentur»; uti declaravit Congregatio quinta generalis [1]). Perpende ergo singula huius regulae, et agnosce, quae sint illa quae possunt Superioribus dici de te, et noli reputare pro iniuria, si talia de te dicantur Superioribus.

Punctum III. — Considera maiorem esse habendam rationem Dei quam Superiorum, tum quia Deus magis te potest punire si id merearis, tum quia etiamsi te punire non posset, deberes magis curare bonam et malam opinionem de te Dei, ut sis in bona apud eum et non in mala, sicut tibi volupe est ut sis in bona et non in mala opinione apud cives, vel apud aequales, vel apud tuos discipulos,

[1]) Decr. 58.

vel apud tuos subditos, a quibus puniri non potes. Et hinc agnosce, immerito te tristari et conturbari, dum ea de te dicunt vera, quae Deus vidit et scit vere esse a te dicta et facta vel omissa. Non est hic sermo de rebus tibi falso adscriptis, de quibus alias, sed de solis veris.

PUNCTUM IV. — Considera causas ob quas debes esse contentus, ut tecum iuxta hanc regulam procedatur. Tum quia promisisti eam servare in prima probatione et postea, tum alias ob causas, quas ipse per te, Domino illustrante invenies. Resolve ergo te serio et heroice ad eam deinceps servandam, et defle defectus praeteritos.

Meditatio IV.

De observatione regulae 10-ae Summarii.

PUNCTUM I. — Considera etiam regulam decimam Summarii ex declaratione Congregationis quintae generalis esse unam e substantialibus, qua praescribitur, ut omnes boni consulant: 1°, «ab aliis corrigi; 2°, ad aliorum correctionem iuvare et manifestare sese invicem cum debito «amore»; 3°, non expectando ut Superior interroget, sed eo etiam non interrogante, uti declaravit Congregatio sexta generalis; 4°, sed multo magis id faciendum, si a Superiore, qui illorum curam gerit, fuerit ita praescriptum «aut interrogatum». Pondera singula et agnosce, ad quid tenearis ex vi huius regulae.

Punctum II. — Considera magis tibi debere esse charam animam tuam quam corpus, et morbos animi magis adiosos quam corporis. Quocirca si non fers aegre, dum te aliquis praemonet, ne cibo venenato vescaris, ut viam praedonibus plenam declines; et dum te aliquis putat infirmum, si tuum Superiorem moneat, ut tuae sanitati consulat, quamvis infirmus non sis: multo minus debes aegre ferre, si quis iisdem modis tecum, et circa te procedat, circa tuos defectus, qui sunt animae morbi.

Punctum III. — Considera quomodo te hactenus gessisti circa observationem huius regulae; et si bene te gessisti, age Deo gratias, sin secus, dole, et te resolve ad eam observandam exacte.

Punctum IV. — Considera motiva, quae tibi occurrent ad servandam hanc regulam, et in eius observatione exacta, deinceps te funda bene et firmiter.

Meditatio V.

De observatione regulae 11-ae Summarii.

Punctum I. — Considera regulam undecimam Summarii, legendo eam ex libro vel in memoriam revocando, nimirum haec continentem: 1°, «ut quivis omnino et non ex parte abhorreat ab «omnibus, quae mundus amat et amplectitur». Considera autem praecipue duas illas dictiones;

«omnino, et non ex parte»; per quas nihil videtur excipi; 2°, «ut admittamus et concupiscamus «totis viribus quidquid Christus Dominus noster «amavit et amplexus est».

PUNCTUM II. — Considera motiva a S. P. N. Ignatio tradita, ad hanc regulam observandam, et sunt haec: 1°, «observationem huius regulae «esse magni faciendam, summi momenti esse «ducendam in conspectu Creatoris ac Domini «nostri»; 2°, «magnopere iuvare ac conferre ad «vitae spiritualis profectum observationem eius»; 3°, Exemplum saecularium «qui ea quae mundi «sunt sequuntur, diligunt, et quarunt magna cum «diligentia». Ideo resolve te ad servandam hanc Christi legem, saltem eo modo, quo mundani servant magna cum diligentia leges mundi, Deo saepe exosas, et illis perniciem aeternam non raro adferentes.

PUNCTUM III. — Considera quae sint ea, quae mundi homines querunt et amant; a S. P. N. Ignatio nominantur: «honores, fama, magni nominis existimatio in terra»; et vide an tu in Religione ad quam fugisti e mundano statu, volens modo contrario hominibus mundanis vivere, haec quoque quaesieris et amaveris. Et vide quomodo te debeas in posterum gerere.

PUNCTUM IV. — Considera e contra ea quae S. P. N. Ignatius vult nos, exemplo Christi Domini, contraria mundi moribus «amare, quaerere

«et ardenter exoptare», scilicet: «contumelias, falsa «testimonia, et iniurias pati, ac stulti haberi ac «existimari». An id hactenus optaris et quaesieris vide et confundere, volens te melius tractari, quam fuerit pro te tractatus Dominus et Creator tuus; et resolve te ad renunciandum his omnibus propter Christum, quae mundus amat; et te Christo assimilare in tolerandis patienter et libenter et ardenter rebus contrariis. Et hanc resolutionem, nunquam violandam a te, offer Deo.

Meditatio VI.

De observatione regulae 8-ae Summarii, scilicet ultimae illius partis: «Ut qui mundo ac proprio amori mortuus».

Punctum I. — Considera quid est mundo mori. Mortuus physice mundo non cogitat de rebus mundi, quae sunt, teste sancto Ioanne Apostolo: *Concupiscentia carnis,.. concupiscentia oculorum, et superbia vitae* [1]): Tu an de illis cogites deliberate, et an cogitationes tales contra tuam voluntatem te invadentes ita repellas, ut dici possit te illas non esse passum, vide, et cur eas non debeas acceptare et fovere considera, et vide quomodo te hac in parte in posterum gerere debeas.

[1]) I. Ioann. II. 16.

PUNCTUM II. — Considera, mundo mortuum physice non tantum non cogitare de rebus mundi supradictis, sed nec illas desiderare. Tu quomodo te in hac parte geras, diligenter perpende, et quae sunt emandanda emenda.

PUNCTUM III. — Considera, mundo mortuum physice non aegre ferre quidquid illi infertur iniuriae, sive positive, sive negative, dum vel non promovetur ad speciosa, vel dum degradatur a speciosis occupationibus, vel amovetur a locis honorificis et occupationibus. Tu an sis moraliter mundo mortuus, examina te circa haec; et quid deinde tibi sit faciendum vel vitandum firmiter statue.

PUNCTUM IV. — Considera, mundo mortuum physice, si posset esse rationis compos, optaturum quam citissime amoveri ab oculis hominum, et sub terra recondi, et non aegre laturum, si terra obrueretur, et conculcaretur omnium pedibus; tu, an sis mortuus mundo moraliter, hinc agnosces, si tali modo proportionaliter te velis tractari in humiliationibus tui. Et sic agnosces, an sis mundo moraliter mortuus, et quantum distes a perfectione evangelica et religiosa, quae suos vult esse mundo moraliter mortuos. Ideo confundere, dolo tuas superbias, et te emenda.

Meditatio VII.

Circa alia verba eiusdem regulae: «Ut Christo Domino nostro soli vivat».

Punctum I. — Considera, te debere Christo vivere tanquam Domino, quocirca ita te debes gerere in hac curia vel aula Christi, sicut se gerunt boni famuli in curiis et aulis regum, quibus serviunt. Famuli autem regum ita serviunt: nunquam de industria et data opera quidquam dicunt, vel faciunt, vel omittunt, quod sciant displicere regibus, dominis suis, et quod sciunt semper puniri ab illis, vel tunc dum tale aliquid committunt, vel postea. Et cum Christo nihil displiceat nisi peccatum, et cum nihil puniat in hac vel altera vita nisi peccatum, vide an quoad hoc te geras erga Christum Dominum tuum, uti boni servi se gerunt; et defle deflenda, corrige corrigenda, et te emenda.

Punctum II. — Considera, famulos regum si contingat aliquid inadvertenter, etiam per ignorantiam vel oblivionem dicere vel facere vel omittere, quod offendat reges et dominos suos, valde ob id erubescere, et tristari, et non audere comparere in conspectu dominorum suorum. Tu examina te, an ob peccata tua ex subreptione et inadvertenter commissa ita erubescas et sensibilem ob ea tristitiam sentias. Hinc agnosces an sis bonus tanti

regis servus, et quid te in posterum facere oporteat.

PUNCTUM III. — Considera, servos regum dum ante reges suos et dominos stant, vel alibi existentes ab eis videntur, ab omni re et actione et gestu indecoro abstinere, sed summa modestia facere omnia. Tu vero, cum regem tuum sua immensitate ubique tibi intime praesentem esse scias, et fide divina credas intima tua intuitive aspicere, non sola exteriora, procedisne cum Deo eo modo, quo servi in oculis dominorum? et, si quid vitandum sit, deinceps vita.

PUNCTUM IV. — Considera, servos regum pro magno beneficio et sua felicitate habere, si reges eorum opera utantur quam saepissime, vel mittendo eos ad aliqua loca, vel ad personas, vel iniungendo illis aliqua conficienda vel domi, vel foris, etiam difficili tempore, et non sine labore et molestia, idque habent pro magno signo amoris erga se regum: tu an hoc modo te geras, dum tibi Superiores saepius quam aliis iniungunt aliqua laboriosa sive officia, sive opera, examina te, et an sit boni servi murmurare contra Superiores, Christi vicarios, dum tibi iniungunt saepe quaedam quae nolles, vel frequentius quam aliis. Confundere ergo, et assuesce nihil unquam detrectare nisi solum peccatum.

Meditatio VIII.

De iisdem verbis: «Ut Christo Domino soli vivat».

Punctum I. — Considera, servos regum exactissime exequi mandata suorum dominorum omnia ad amussim, ne minima circumstantia omissa, vel negligenter executioni mandata. Tu an hoc modo exequaris mandata Dei, immediata et mediata, quae tibi et per se et vicarios suos praescribit? Et defle deflenda, emenda emendanda.

Punctum II. — Considera, servos regum peculiari studio ea exequi, quae ad ipsam regiam personam spectant, vel illam vestiendo, vel exuendo, vel cibum eis potumve porrigendo; quam libenter, et sine taedio et tergiversatione, ac integre talia praestent regibus. Tu examina te, an simili modo peragas actiones ad divinum cultum immediatum spectantes, uti sunt Missae Sacrificia, horae canonicae, meditatio, et his similia. Et, si agnosces te a famulis regum in hoc superari, erubesce, et propone seriam emendationem, et deprecare tuum Regem Christum, ut condonet tibi hanc inurbanitem in obsequiis, ad eius personam colendam ab eo tibi praescriptis.

Punctum III. — Considera, famulos regum summae felicitatis hoc ducere, si saepe a regibus advocentur ad familiaria colloquia, et in-

vident aliis, si vident eos frequentius ad ea invitari. Cum ergo scias certo, orationem esse colloquium cum Deo, et, cum credas verum esse quod Spiritus sanctus in Scriptura reliquit, delicias *esse* Dei, versari *cum filiis hominum* [1]): cur non placet tibi frequens et longa oratio et colloquium cum Deo? Cur magis placet longa recreatio et colloquium cum hominibus? Erubesce, et pete veniam a tuo Rege, quod pluris facias re ipsa conversationem cum hominibus quam cum Deo Domino tuo.

PUNCTUM IV. — Considera quam amarum erit tibi in hora mortis, quando vel daemon, vel conscientia tua obiiciet tibi famulos regum, ob spem praemiorum temporalium, cum hac vita finem accepturorum, tam diligenter et laboriose et sine taedio servivisse regibus dominis suis, te vero nec beneficiis maioribus quam soleant conferre reges famulis suis, nec spe praemiorum aeternorum motum esse ad aeque serviendum Regi regum et Domino dominantium. Ideo consule tempestive animae tuae, ne in hora mortis tuae confundatur, et formidet severum Dei iudicium statim post mortem subsecuturum.

[1]) Prov. VIII. 31.

Meditatio IX.

Ex eadem regula:
quid sit «mori amori proprio».

Punctum I. — Considera amorem proprium esse execrabile fundamentum omnium malorum, ut Deus Pater dixit sanctae Catharinae Senensi: «a quo abominabili et detestabili procedunt omnia mala, et qui totum orbem venenavit [1]),... et qui est velut una obscura nubes, quae privat hominem lumine rationis, continente in se lumen verae fidei [2]),... et qui penitus animam exsiccat a quolibet vigore fructifero,... et qui Deum suis sagittis sagittat» [3]). Haec pondera, et agnosce quam sit vitandus amor iste proprius, imo extirpandus, adeó terribiliter a Deo Patre descriptus.

Punctum II. — Considera non esse impossibilem huius amoris exstirpationem: siquidem de S. P. N. Ignatio, et sanctae rotae Auditores, et Cardinales sacrorum Rituum in relatione publica impressa, data Gregorio XV. papae et omnibus cardinalibus in consistorio tunc praesentibus, inter alia motiva pro canonizando S. P. nostro hoc adduxerunt, «quod charitatem in Deum adeo puram in suo corde alue«rit retinueritque, ut etiam sui ipsius amorem

[1]) Dial. cap. vii. et xvii. [2]) Ibid. c. li. [3]) Ibid. c. xcii. et cxvi.

«a se prorsus amandarit» [1]). Et paulo ante dixerunt: «quod a seipso amorem omnium rerum quae Deus non sunt, prorsus abiecerit atque in eundem transtulerit Deum». Quocirca ne tanti Patris sis degener filius, conare ut exstirpes in te amorem proprium.

PUNCTUM III. — Considera amoris proprii *effectum* esse desiderium bonae opinionis de nostris bonis apud alios, scilicet: de natalibus et conditione in vita saeculari, de nostro ingenio, doctrina, prudentia, talentis pro docendo scholas altiores, pro gubernatione, de virtute, et similibus. Ex altera parte amor proprius nos impellit, ut nolimus esse in opinione mala seu sinistra apud alios circa supra dicta. Examina ergo te, an amor proprius in te circa haec vigeat; et perpende, quod hic effectus amoris proprii sit directe contrarius virtuti humilitatis, quae facit contraria appetere. Et cum humilitas iudicio Christi Domini sit causa exaltationis in oculis Dei: *Qui se humiliat exaltabitur* [2]), et cum sit fundamentum omnium virtutum moralium, primarum post virtutem fidei: vide quantopere sit necessaria exstirpatio huius effectus et affectus amoris proprii, si velis esse magnis virtutibus praeditus.

PUNCTUM IV. — Considera *alterum effectum* amoris proprii esse, desiderium laudis, quae

[1]) Pag. 16. [2]) Luc. XIV. 11.

solet proficisci ex bona opinione aliorum de nobis. An in te hic affectus vigeat, et, si viget, agnosces te non esse mortuum amori proprio, nec velle te esse imitatorem Christi, qui a Iudaeis vituperabatur variis modis, tanquam vorax et potator vini, tanquam cum daemoniis commercium habens, et eorum virtute daemonia eiiciens, tanquam superbissimus, arrogans sibi Divinitatem et aequalitatem cum Deo; tanquam seditiosus, et subvertes gentem Iudaicam, et his similia scripta in Evangelio. Quae omnia Christus Dominus pro te patienter, sine indignatione mentis et oris toleravit.

Meditatio X.

De eadem re.

Punctum I. — Considera, *tertium* effectum amoris proprii esse desiderium bonae famae apud alios, quam parit laus aliorum, dum nos et nostra commendant et praedicant. An hic effectus amoris proprii in te sit, hinc agnosces, si tristaris, et multo magis si turbaris, dum publice et notorie coram aliis vituperatur tua persona, vel dicta et facta tua. Hunc effectum amoris proprii exstirpare stude, partim si innocens es, solando te innocentia tua, partim iudicio Dei de te et rebus tuis; pluris enim debes facere iudicium Dei de te quam hominum. Ideo procura, bonis modis vivendo, habere bo-

nam famam apud Deum et apud Sanctos in coelo, considerando causas, cur magis curanda sit bona fama in coelo quam in terra.

PUNCTUM II. — Considera, *quartum* effectum amoris proprii esse desiderium gratiae eorum hominum, a quibus promoveri possis ad officia honorifica et speciosa. Hic examina te, an huic vitio sis obnoxius. Et perpende Christi silentium in domo Pilati et Herodis, coram quibus nihil dixit et fecit, quod illi, tot falsis criminationibus impetito ab omnibus Iudaeis, posset gratiam Pilati et Herodis conciliare. Tu an ita te geras, inquire, et si quid vitandum sit, vita.

PUNCTUM III. — Considera, *quintum* effectum amoris proprii esse, desiderium promotionum ad gradus in Religione speciosos, ad occupationes et loca honorifica, et his similia. An hic affectus in te vigeat, examina te. Et cum mundum reliqueris, ut Christum possis melius imitari, pondera illa Christi Domini tui verba: *Regnum meum non est de hoc mundo*[1]; et: *Vulpes foveas habent, et volucres coeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet*[2].

PUNCTUM IV. — Considera, *sextum* effectum amoris proprii esse, desiderium ut honoremur ab aliis in congressibus publicis, in salutationibus in foro, ut est in Evangelio, et aliis in

[1]) Ioann. XVIII. 36. [2]) Matth. VIII. 20.

locis, et in primis accubitibus, etiam in salutationibus epistolarum locum primum expetimus, et in catalogis nominum ad portam appensis. Hic affectus an in te vigeat, vide, et resolve te ad exequendum illud Christi Domini nostri monitum: *Recumbe in novissimo loco* [1]). Ita enim in coelo meliores assequi poteris honores, hic illos vitando propter Deum.

Meditatio XI.

De renovatione amoris erga imitationem Christi.

Punctum I. — Considera te esse Christi Capitis tui membrum, ut ait Apostolus: *membra sumus corporis eius, de carne eius, et de ossibus eius* [2]). Hinc sequitur, debere mores tuos esse conformes Capiti tuo Christo. Hoc bene pondera et penetra, ut tibi vivide et intime persuadeas hanc veritatem, valde necessariam ad multas actiones heroicas in obsequio Dei, cum magno merito faciendas.

Punctum II. — Considera actiones tuas, ut sint Christo Capiti tuo conformes, debere esse valde heroicas, tum ex parte subiecti, hoc est ex parte tua, ut illas cum magna puritate et perfectione facias, hoc est sine peccato, et cum magna diligentia et fervore sive ardore spiritus; deinde ex parte obiecti, id est rei quam

[1]) Luc. xiv. 10. [2]) Ephes. v. 30.

facis vel pateris, ut non tantum actiones tuas occupes circa obiecta facilia, quae accidunt ordinarie, sed magis circa obiecta valde difficilia, et superbiae, et amori proprio, ac sensualitati tuae valde molesta, ut sint proportionatae tuae actiones actionibus Capitis tui Christi, qui etsi fuerit sine vitioso amore proprio, et nulli peccato obnoxius, tamen ex amore nostri, difficiliora egit et passus est quam ulla pura creatura. Ideo si Caput tuum talia fecit et passum est, idque non propter se, sed propter te, teneris ei te conformare, imo plus facere et pati quam Caput tuum: quia et homines volunt capita sua commodius et delicatius tractari, et praeservari ab iniuriis aëris aliisque, quam alia membra, non tam praestantia. Resolve te ergo ad imitationem Christi in his rebus.

PUNCTUM III. – Considera extrinsecas causas, quibus Christus Caput tuum, ex tui amore, et ad danda tibi exempla imitationis sui, laeto et generoso animo sustinuit omnis generis iniurias, convitia, calumnias, detractiones, infamias, contemptus, falsas accusationes, ludibria, sputa et his similia, mortem denique infamem et inexplicabilibus doloribus plenam. Ergo hinc sequitur, debere te similia pati pro Capite tuo. Ergo resolve te generose ut talia, imo plura et peiora patiaris, quia caput debet commodius conservari, quam pes vel unguis, quem te esse reputa, respectu Capitis tui, et respectu ali-

orum membrorum eius, te meliorum et digniorum.

Punctum IV. — Considera internum statum Christi Capitis tui, in quo voluntarie mansit tum aliis modis tum quia, ut ait Apostolus *sustinuit crucem, confusione contempta* [1]). Inter praecipuas enim mentales afflictiones Christi Capitis tui, fuit magna confusio pudor et erubescentia, quam de industria accivit, imperio suo volens illam sentire, et ea veluti enecari, eaque imperata ex occasionibus sui accusationum, denudationem sui ad columnam, et in cruce et alias. Hinc resolve te ad quaerandas data opera tui confusiones; primo secretas, in sinceris confessionibus faciendis, et in manifastatione omnium gravium peccatorum tuorum, dum Superioribus reddis rationem conscientiae etiam extra confessionem; deinde publicas, dum vere vel false accusaris et infamaris, et publice puniris, et dum publice manifestando coram aliis veros sed ocultos defectus, tuos cum Superiorum licentia, confusionem tui, ex amore Capitis tui, tibi concilias.

Ut autem facilius ad has tui confusiones quaerendas et acceptandas generose, et cum effectu subsecutoro te resolvas, sequentia motiva te ad hoc inducere possunt, ponderanda in alia meditatione.

[1]) Hebr. xii. 2.

Meditatio XII.

De confusione quaerenda.

MOTIVUM I. — Exemplum Christi: quia, ut dicitur, *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia eius* [1]).

MOTIVUM II. — Satisfactio pro peccatis tuis praeteritis.

MOTIVUM III. — Magna merita quae parit confusio magna, generose tolerata.

MOTIVUM IV. — Ingentes coronae in coelis ob id praeparatae.

MOTIVUM V. — Exempla Sanctorum qui hac in re excelluerunt, et ob id variis Dei donis repleti sunt, ut: Simonis Salo, sancti Philippi Nerii, Beati Consalvi Sylveirae nostri Martyris, P. Gasparis Berzaei, qui cum esset rector Goanus, publice ex cathedra in refectorio dixit peccata sua in saeculo commissa; P. Alvarez Balthasaris, qui in ratione conscientiae idem fecit, sine ulla obligatione, iam superior existens, ita ut provincialis vel visitator coram quo ita se manifestavit, fuerit fere extasim passus, prae admiratione tantae humilitatis; P. Realini, qui omnibus suis rectoribus novis, dum venirent ad gubernandum collegium Lupiense, solebat dicere peccata a se in saeculo commissa; tum aliorum Dei servorum, qui per

[1]) I. Pet. II. 21.

tales confusiones ultro, bonis modis, non contra regulam undecimam Summarii procuratas, mira et valde rara Dei dona consecuti sunt.

Motivum VI. — Diligenter examinandae sunt causae ob quas refugimus confundi in confessione et in manifestatione nostrae conscientiae Superiori facienda. Eae sunt tres: 1°, metus ne deinceps non amemur a Superiore; 2°, metus ne non promoveamur ad officia speciosa, et ne non fidat nobis, ideoque non mittat nos ad certa loca, vel ne neget tales occupationes in quibus non possit nobis fidere; 3°, ne simus in mala opinione apud illos. Quae falsae sunt et frivolae.

Sed haec tria non curabimus, si bene penetraverimus et Christi exempla, et magnitudinem meritorum ac praemiorum duraturorum per totam aeternitatem, pro illa brevi confusione tolerata; sed maxime, si ponamus veluti in statera, in una lance Deum, et Dei opinionem de nobis, quam concipiet de nobis si nos vicerimus in procurata nostri confusione, et praemia quae secum habet nobis suo tempore pro hoc actu heroico danda. In altera lance ponamus Superiores omnes et alios apud quos nolumus esse in sinistra opinione, et inde ab iis male tractari: ita agnoscemus magnam esse stultitiam fugere confusiones apud homines, et nolle confundi, sciendo per confusiones nos apud Deum eximia praemia in hac vita, et in

altera acquisituros. Quia practice et per fidei exercitium vincendo nos hac in re, ostendemus nos pluris facere eius opinionem, gratiam ac praemia, quam hominum opinionem, gratiam ac beneficia. Resolve te ergo ad aliqua particularia, pro Deo et tuo Capite crucifixo, in tui confusionem facienda.

TERTIA SERIES.

MEDITATIONES DE MOTIVIS AD PERFECTIONEM ET SANCTITATEM ACQUIRENDAM.

Meditatio I.

De voluntate Dei.

(Oratio praeparatoria solita).

Primum praeludium. Imaginare te esse in spiritu translatum ad coelum, ibique genua flectentem coram Sanctissima Trinitate, et Christi Humanitate, et coram omnibus Angelis et Spiritibus beatis, thronum Sanctissimae Trinitatis cingentibus, et ante Beatissimam Virginem Mariam, cum tuo S. Angelo Custode et praecipuis sanctis Patronis tuis tuam causam ibi acturis.

Secundum praeludium. Pete a Deo, per merita et intercessiones Sanctorum Deo assistentium, efficacem gratiam cognoscendi intime et immutabiliter obligationem tuam, qua teneris ad

acquirendam vitae et morum tuorum perfectionem.

Punctum I. — Considera, primum motivum quaerandae perfectionis esse Dei voluntatem declaratam nobis per Dominum Iesum, per Apostolos, et Ecclesiae sanctae doctores. Hanc enim exigunt a nobis illa Christi verba: *Estote... perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est* [1]); et illa Apostoli: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in charitate* [2]). Hoc ipsum docuit sanctus Augustinus [3]) et sanctus Thomas [4]). «Factus est, inquiunt, Deus homo, ut homo fieret Deus». Quibus verbis aliquantulum ponderatis, duo agnosce et menti profunde imprime: 1°, Dei erga te benevolentiam admirabilem, qui dignatus est te in tali statu collocare, in quo possis fieri ei similis in perfectione et sanctitate; 2°, felicitatem tuam summam, quia potes eius beneficio ascendere ad, throno divinae Maiestatis, locum et felicitatem proximam. Unde par est ut toto animi conatu resolvas te ad conformandum te hac in re, tam benignae erga te divinae Voluntati.

Punctum II. — Considera, motivum secundum quaerendae perfectionis et sanctitatis esse

---

[1]) Matth. v. 48. [2]) Ephes. i. 4. [3]) Serm. 13. [4]) Offic. in festo Corporis Chr. lect. iv.; et in Opusculo 57.

conditionem tui status religiosi. Cum enim ipsi saeculares, ad quos etiam spectant illa Christi et Sanctorum verba in primo puncto allata, suo modo teneantur attendere perfectioni acquirendae, unde adhuc in lege veteri, imperfecta licet, uxorato Abrahae dictum erat a Deo *ambula coram me, et esto perfectus*[1]): multo magis tu teneris esse perfectus, tum quia ratione status religiosi, maxime si es sacerdos Altissimi, teneris esse perfectior saecularibus, tum quia id facilius quam saeculares assequi potes, eo quod habeas in Religione sublata illa impedimenta sanctitatis, quibus saeculares, velint nolint, sunt irretiti; et habes propria auxilia ad perfectionem eximiam assequendam, tam multa et communia cum aliis religiosis, et propria tui Ordinis, tum quia Ordinis tui proprius finis est: attendere etiam propriae perfectioni, non tantum saluti. Vide ergo quanto iure a te exigat Deus eximiam perfectionem et sanctitatem, sanctitate saecularium maiorem, et quantopere debeas eam quaerere.

PUNCTUM III. — Considera, tertium motivum ad quaerendam perfectionem et sanctitatem esse ipsum Christum solum, etsi alia motiva et auxilia deessent. Nam hanc ob causam Christus tam acerbe et ignominiose occisus

[1]) Gen. XVII. 1.

est, teste Apostolo: *Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta, et immaculata* [1]). Cum ergo Christi mors res fuit adeo eximia, et ratione Humanitatis eius, et ratione Divinitatis, cui per eam magna ignominia et iniuria inferebatur, et ratione omnium modorum possibilium patiendi omnia adversa, molesta corpori et animae, et ratione nostrae indignitatis et demeritorum: exardesce seraphico desiderio assequendae sanctitatis tam altae, ut sit digna tot Christi tui sudoribus, laboribus, plagis, vulneribus, effusione sanguinis eius, et ipsa morte, ac anima eius, quam separavit a corpore adeo violente et ignominiose, ut tu separares te a vita imperfecta, et ad perfectam transires, tanquam finem ab eo intentum, et fructum correspondentem tot eius meritis et laboribus ac doloribus, tui causa, pro hac re, per annos triginta quatuor susceptis.

Punctum IV. — Considera, quartum motivum quaerende sanctitatis esse carnem et sanguinem Christi, quem tam saepe intra te recipis. Nam si qualitas cibi temporalis relinquit in corporporibus, a quibus sumitur, similes qualitates, quanto magis hic cibus coelestis, in quo sumitur ipse Deus, ac fons et causa meri-

[1]) Ephes. v. 25, 27.

toria et effectiva omnis possibilis sanctitatis. Cur ergo illa in tuis potentiis, in tuis membris in tuis sensibus, in tuis actionibus internis et externis non apparet vel ulla prorsus, vel valde exigua, vel certe non tanta, quantam meretur sanctimonia Dei et humanitatis Christi, qua pasceris tam saepe? Resolve te itaque ad mutandos mores, et deinceps, ad procurandam toto conatu tuo, eximiam sanctitatem cum divina gratia.

Colloquium, erit plenum his quinque affectibus: 1°, procide ante thronum Dei, ita uti supra dictum est positum, erubescens prae pudore et ingratitudine et stultitia tua extrema, quod tam imperfecte vivendo tanto bono et felicitate tibi oblata te privaris hucusque; 2°, veniam a divina Maiestate pete; 3°, detestare hanc tuam et negligentiam et inurbanitatem; 4°, adhibe Patronos tuos ante te stantes, ut tibi impetrent veniam, et gratiam quaerendi deinceps perfectionem omni conatu; 5°, hoc ipsum pete a divina Maiestate, promittens illi emendationem.

Meditatio II.

De amore Dei.

(Oratio praeparatoria et praludia eadem, quae in prima meditatione).

PUNCTUM I. — Considera sanctitatem et perfectionem principaliter consistere in amore Dei,

charitas enim, ut ait Apostolus [1]), perfectior est virtutibus quae vocantur theologicae, scilicet fide, et spe; *et finis... praecepti, est charitas* [2]); et in dilectione Dei ex toto corde, et proximi sicut nostri, *universa lex pendet et prophetae* [3]). Ideo qui sanctus esse vult, principaliter laborare debet, ut quam maximum amorem erga Deum habeat.

Punctum II. — Considera, amorem erga Deum requisitum ad perfectionem, hoc tanquam fundamentum exigere, ut serventur omnia praecepta: *Haec est enim charitas Dei*, inquit dilectus Christi discipulus, *ut mandata eius custodiamus* [4]). Cum autem tua sanctitas debeat esse longe maior quam saecularium, tum ratione finis tui, tum ratione mediorum et auxiliorum, quae habes pro ea assequenda, tum ratione impedimentorum saecularium, quae sublata sunt, tum ratione status tui, qui est status perfectionis acquirendae: vide quam perfecte debeas servare omnia mandata Dei; et examina te, quomodo ea hactenus servaveris, et defle, si quos inveneris lapsus contra Dei praecepta, et corrige corrigenda, et emenda te.

Punctum III. — Considera, amorem hominum erga alios homines, praesertim sibi intime charos, contentum non esse sola observatione

---

[1]) 1. Cor. xiii. 13. [2]) I. Tim. i. 5. [3]) Matth. xxii. 40. [4]) I. Ioann. v. 3.

mandatorum amici, sed sponte propria adiungere multa, excogitare varia, et donare quae putantur dilecto amico placitura. Cum ergo in Deo sint omnia motiva, quae esse possunt et excogitari in summo amico homine, eoque infinito intervallo praestantiora, hinc agnosces, te debere ad praecepta Dei addere multa alia Deo accepta et grata. Quomodo autem hoc practices, examina te, et exequi stude.

PUNCTUM IV. — Considera illud verissimum dictum sancti Gregorii: «Probatio dilectionis, est exhibitio operis». Cum ergo agnoveris te debere ex amore erga Deum plura opera quam sola praecepta Deo offerre: vide quae sint illa, quae ad praecepta adiungere debeas, et generoso animo Domino offer, et firmiter statue, quomodo deinceps in iis frequentandis te occupare et perseverare debeas, praesertim omnia ea, quae nobis in regulis commendantur difficilioribus, uti et regula octava, nona, decima, et undecima Summarii.

Meditatio III.

De amore proximi.

PUNCTUM I. — Considera, ad perfectionem evangelicam spectare etiam secundario, ut ait sanctus Thomas et colligitur ex Evangelio, amorem proximi; ita tamen, ut non propter se, sed propter Deum, tanquam quid ad Deum

spectans et a Deo amatum, ametur; quam ob causam dicitur: *Qui diligit proximum, legem implevit* [1]). Quocirca, iuxta mensuram dilectionis Dei, volentis etiam proximorum nostrorum amorem, licet inferiorem tamen diligendi sunt illi amore circa ipsum Deum occupato.

Punctum II. — Considera, modum quo amandus est proximus, esse nobis ab ipso Deo praescriptum: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum* [2]). Vide ergo quomodo te diligas, et quibus in rebus tuam erga te dilectionem ostendas; et inquire, an id quoque praestes tuo proximo. et si quid inveneris emandandum emenda. Invenies autem, si quod tibi nolles dici vel fieri, dicis vel facis proximo; et quod velles tibi dici, vel fieri, non dicis, nec facis proximo.

Punctum III. — Considera, inter proximos quos propter Deum diligere debes, esse quoque inimicos, si qui sunt, tuos, saltem eos, qui vel sunt, vel fuerunt causa alicuius molestiae tuae, et te aliqua re offenderunt. Nam et tales Christus Dominus diligere, et orare pro eis, te iis benefacere, et ut hoc praestemus ex animo, in oratione Dominica quotidie nos dicere vult verba illa: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* [3]). Ut si vo-

---

[1]) Rom. xiii. 8. [2]) Matth. xix. 19.; Rom. xiii. 9.; Iac. ii. 8. [3]) Matth. vii. 12.

lumus nobis a Deo dimitti longe maiores et plures offensas, quibus eum ad iram provocamus, etiam eas proximorum nostrorum dimittamus offensas, quibus nos irritant. Quod an, et quam perfecte facias, vide, et quod tibi in hac materia vis praestari a Deo per te offendi solito, hoc quoque pro Deo iis exhibe, a quibus putas te aliqua iniuria vel molestia affectum. Quomodo autem id praestes vide, et praestare deinceps stude.

PUNCTUM IV. — Considera excellens motivum, quo Christus Dominus commendavit nobis amorem inimicorum, et eorum, qui etsi inimici nostri non sint, tamen sunt vel fuerunt causa alicuius nostrae afflictionis: *Ut sitis*, inquit, *filii Patris vestri, qui solem oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos* [1]). Quod quam sit excellens perpende, et heroico animo statue, quomodo et quibus in rebus erga tales tuam deinceps dilectionem demonstrare debeas, ut sis filius Patris coelestis, et tanquam filius, haeres Dei et cohaeres Christi, ut loquitur Apostolus [2]).

Meditatio IV.

De perfectione aliarum virtutum.

PUNCTUM I. — Considera praeter charitatem, ad perfectionem requiri etiam alias virtutes

[1]) Matth. v. 45. [2]) Rom. VIII. 17.

communes tam saecularibus, qui etiam possunt esse perfecti, quam Religiosis. Perfectum enim est id, cui nihil deest ex rebus ei convenientibus. Ideo Apostolus charitati adiungit alias virtutes Christiano necessarias: *Charitas,* inquit, *patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet* [1]). Vide ergo an in te sit charitas, his, quae commemorantur ab Apostolo, virtutibus stipata; si est, gratias Deo age, si non est, confundere, annota praecipuos defectus, et te emendare stude, ac charitatem apostolicam assequi conare.

Punctum II. — Considera, satis non esse ad perfectionem habere omnes virtutes in qualicunque gradu, sed opus esse, ut omnes virtutes sint in gradu excellente, et heroico, ut ob illarum eminentiam fiant, uti tales vocat Aristoteles, «homines divini», quasi quidam dii, per participationem magnam virtutum divinarum. Exempli gratia tales, qualis fuit castitas in Ioseph solicitato ad peccatum a sua hera, Susannae expetitae a scelestis iudicibus; obedientia Abrahae, filium unicum sine tergiversatione mactare volentis Deo iubente, patien-

[1]) I. Cor. xiii. 4—7.

tia Iob in tot calamitatibus simul se opprimentibus; amor inimicorum in Davide, qui cum non semel posset occidere vitae suae insidiantem Saulem, pepercit ei, et posteros eius beneficiis magnis affecit. Tu introspice te. an habeas in tam excelso gradu, aliquam virtutem, et quantum tibi desit, agnosce; et excita te ad assequendas omnes virtutes in summo gradu, cum perfectior esse debeas quam omnes saeculares.

PUNCTUM III. — Considera media, per quae homines pii assecuti sunt et assequuntur eximias virtutes, proportione quadam ad similitudinem eorum, qui assequuntur eximiam in scientiis practicis vel speculativis eminentiam. Et vide an adhibeas talia media, et proficere stude.

PUNCTUM IV. — Considera impedimenta, quae hactenus fuerunt causa, quod non sis assecutus virtutes in gradu excelso, et ea amovere stude, et efficax propositum habere conare ad ea vehementissime cavenda et amovenda.

Meditatio V.

De modis cavendi peccata.

PUNCTUM I. — Considera, *primam normam* tuae perfectionis acquirendae, esse petendam ex eo, quod sis imago Dei, quae, si erit Deo suo prototypo quam simillima, erit in nobis

perfectio vitae a Deo expetita, et a Societate nobis commendata. Porro ad hanc similitudinem habendam, primo, necessarium est, non habere ullas maculas, hae enim foedant quamvis imaginem. Maculae hae peccata sunt, ideo primus conatus ad perfectionem aspirantis esse debet, ut quantum fieri potest, sit liber a peccatis, tum dando operam ne in ea labatur, tum ut praeterita aboleat quoad culpam et quoad poenam, modis in Ecclesia usitatis. Quod quomodo facias vide, et facito facienda.

Punctum II. — Considera, *primum* modum cavendi peccata esse debere, ne unquam committantur cum plena deliberatione. Hoc quantopere necessarium sit, perpende, ponderando, quam magnum sit scelus et impudens audacia, velle, plena deliberatione et cognitione malitiae ac foeditatis peccati, Deum offendere, et sibi reddere iratum, a quo iudicandus est, et puniri potest ob peccatum quodvis, et cuius tibi gratia adeo necessaria est ad omnia. Vide ergo, quid tibi quoad hoc sit faciendum.

Punctum III. — Considera, *secundum* modum cavendi peccata esse debere, ne unquam etiam sine plena deliberatione committas ullum grave peccatum, etiam veniale, uti sunt mendacia, murmurationes, detractiones. Si enim cavemus graves morbos corporis: multo magis graves morbi animae cavendi sunt, quia sunt maiora mala et curatu difficiliora, siquidem

naturae viribus, et humana arte non possunt curari, uti morbi corporis. Examina ergo te, quomodo te geras quoad hoc, et quod faciendum est, facito.

PUNCTUM IV. — Considera, *tertium* modum cavendi peccata esse, non in multas species peccatorum labi; quod quam aequum sit perpende, ponderando doctrinam sancti Thomae dicentis: «Peccata venialia per se disponere ad «mortalia, eo modo, quo calor disponit ad ignem, «et accidens ad formam substantialem»[1]). Quomodo ergo te hac in parte geras, vide, et generose te resolve ad cavendas istas maculas, Dei imaginem valde foedantes.

Meditatio VI.

De allis modis vitandi peccata.

PUNCTUM I. — Considera, *quartum* modum cavendi maculas foedantes animam et imaginem Dei esse, raro labi in peccata, et non contra multas species peccatorum. Tu an id observes, vide, et perpensis causis ob quas cavere debes frequentiam peccatorum, defle peccata, si in ea saepe lapsus es, et inposterum tanquam a facie colubri fuge illa.

PUNCTUM II. — Considera, *quintum* modum vitandi maculas imaginem Dei foedantes esse,

[1]) Sum. Theol.

si ne quidem raro, imo nunquam talia peccata venialia committantur, quae spectata vel tuae naturae debilitate, vel pravorum habituum inclinatione, periculosa sunt valde, et facilem ad peccata mortalia lapsum adferre solent; uti sunt cogitationes impurae negligenter et languide reiectae, aspectus personarum formosarum non necessarius, lectio rerum non omnino pudicarum, et his similia. Qua in re quomodo processeris, et quid tibi faciendum sit, delibera.

Punctum III. — Considera, *sextum* modum fugiendi maculas imaginem Dei conspurcantes esse, si vitentur peccata omnia, in actionibus ad divinum cultum spectantibus, tum privatis, tum publicis. Quod quam aequum sit, perpende, revocatis in memoriam quorundam ethnicorum in superstitioso idolorum cultu, miris reverentiae et attentionis exemplis, quibus tuam socordiam et negligentiam redargue, et te emenda.

Punctum IV. — Considera, *septimum* modum conservandi mundam a maculis Dei imaginem esse, peculiare studium usu examinis particularis vitia certa ita diminuere, ut quotannis saltem unum penitus evellatur. Hoc an feceris, recogita, et inposterum facere stude.

Meditatio VII.

De perfectione actionum.

PUNCTUM I. — Considera, ad perfectam similitudinem creatae imaginis rationalis cum suo prototypo pertinere, ut sis ei similis in operationibus suis. Primo quidem, ut quemadmodum Deus nihil operatur nisi ob finem supernaturalem, et quidem omnium perfectissimum, nimirum propter se ipsum: ita et is qui ei vult esse similis imago, operari debet, omnia et singula; uti etiam monet S. P. Ignatius: «Omnes rectam intentionem habere debent...» [1]). Hoc an et quomodo exequaris vide, et Deo in hoc similis esse conare. Certum autem signum est te pure propter Deum operari, si aeque libenter, aeque diligenter maneas et facias facienda quae tibi sunt a Superioribus praescripta in loco minus celebri, ac in celebri; coram personis pauculis et vilibus, aeque ac coram multis et spectabilbus; si aequali affectu suscipias officia vilia et abiecta hominum iudicio, atque honorifica. Circa quae examina te, et conforma te Prototypo tuo qui aeque benefacit vilibus personis ac locis, sicut praestantibus et honoratis.

PUNCTUM II. — Considera, ad similitudinem cum tuo Prototypo etiam hoc spectare,

[1]) Summarium, Reg. 17.

ut sicut ille non tantum propter te solum facit omnia quae facit, sed etiam omittit et non facit: ita et omissiones tuae non sint aliae quam eae, quas a te Deus, et regulae, et rectae rationis vel Superiorum dictamen exigunt. Examina ergo omissiones tuas, an sint huius generis, an forte rerum debitarum, et Prototypo tuo te conforma.

Punctum III. — Considera, similitudinem perfectam cum nostro Prototypo et hoc a nobis exigere, ut quemadmodum ille omnia et singula quae facit, non tantum propter se facit, sed etiam accommodate ad finem cuiusque rei et naturam: ita et tu, ea quae propter Deum te facere putas, facere debes accommodate ad naturam et finem singularum rerum, seu actionum. Exempli gratia: si comedis vel bibis, non satis est comedere vel bibere propter Deum, sed opus est ita comedere et bibere, quantum requirit naturae sustentatio, et non plus, non ad delectationem, sed ad vitae sustentationem. Sic de somno, sic de aliis rebus, uti sunt studia, et aliae quaevis occupationes; ut obeantur eo modo, non plus nec minus, quo obiri debent, iuxta praescriptum regularum, et Superiorum, et rectae rationis, non vitiatum ab amore proprio, dictamen. Examina ergo tuas occupationes et actiones et functiones officiorum tuorum, an tales sint, et emen-

danda emenda, quod sis Prototypo tuo quam simillimus.

Punctum IV. — Considera, etiam in hoc debere te similem esse Deo Prototypo tuo operanti, ut quemadmodum ille faciendo aliquid, simul etiam aliis quae eodem tempore facit, attendit, et propter nullam operationem suam omittit alias, quas ex sua beneficentia operari dignatur in bonum nostrum, et ita omnibus operibus simul sumptis, quovis instanti, vel mora temporis attendit perfecte, ac si uni soli actioni vacaret: ita et tu, singulas actiones tuas, simili attentionis, diligentiae ac perfectionis gradu exequi et facere debes. Quod an praestes, vide, et tuo Prototypo te conforma.

Meditatio VIII.

De imitatione Christi in usu vocis et membrorum.

Punctum I. — Considera materiam sermonum Christi, et cum ea confer tuam, et vide quid sit necessarium, ut tuo Capiti te conformes.

Punctum II. — Considera modum loquaelae Christi, quoad intensionem vel remissionem vocis, et soni; non sine causa enim sanctus Propheta de eo scripsit: *Non audietur in plateis vox eius* [1]).

[1]) Is. xlii. 2.

Item considera quam celeriter vel tarde loqui solitus fuerit; qualibus verbis usus sit, vulgaribus ne an exquisitis et non ordinariis, quali cursu vel artificio orationis, et his omnibus te conforma.

Punctum III. — Considera usum manuum Christi in comedendo, laborando, gestus edendo, et alia; et vide, an tu simili modo utaris manibus, et agnosce, quomodo etiam hac in re Christo te conformare debeas, ut sis proportionatum eius membrum.

Punctum IV. — Considera usum pedum Christi quoad incessum, et quoad alia, et Christo te conformare stude.

Meditatio IX.

De observatione regularum.

Punctum I. — Considera aequitatem omnium regularum, quomodo, votis exceptis, omnes fere sint eiusmodi, quas etiam saeculares suo modo servare debent, saltem titulo gratitudinis ob multa beneficia a Christo Domino accepta, et titulo debitae servitutis, quia et illi suo modo debent Christum, Ducem, Dominum et Magistrum imitari. Unde sequitur, multo aequius esse, ut tu eas observes, qui ad maiorem teneris perfectionem et vocatus es.

Punctum II. — Considera praestantiam seu perfectionem regularum omnium, quae nimirum

continent, quidquid verae et solidae perfectionis continent regulae aliorum Ordinum, et quidquid perfectionis continet et commendat Sacra Scriptura, et vita Christi et Apostolorum, et aliorum Sanctorum. Unde magna opinione concepta de excelentia huius instituti, accendere spiritu apostolico ad desiderium ardens omnes regulas servandi, propter gustum Domini Dei tui, et tuum bonum.

Punctum III. — Considera praecipuas regulas, praesertim nonam, qua iubemur esse contenti, ut defectus nostri Superiori detegantur; et de odio rerum quas mundus amat, et amore crucis omnis, quam refugit, praesertim contemptum honoris, famae, bonae opinionis; et decimamnonam, de servanda liberalitate erga Deum; et alias similes. Et vide quomodo eas servaveris hactenus, et servare debeas inposterum.

Punctum IV. — Considera causas, quae te impediebant hactenus ne regulas servares, et earum indignitate ponderata, statue, invocato Dei auxilio, efficacissime eas vitare inposterum, ut ita des gustum Domino Deo tuo, et animae tuae consulas.

Meditatio X.

De imitatione Christi in conversatione cum Deo et hominibus.

Punctum I. — Considera quomodo Christus se gesserit erga discipulos et Apostolos suos in colloquiis, comestione, et conversatione, et convictu cum illis, et vide an tu, eius membrum in his omnibus sis ei conformis in conversatione cum domesticis, et te illi conformare stude.

Punctum II. — Considera modum, quem Christus Caput tuum tenuit cum Iudaeis, adversariis doctrinae suae, et censoribus morum suorum: nimirum quoad sermones, et modum loquendi vel tacendi cum illis, quoad conversationis rationem cum iisdem; et collatis rebus similibus tuis respectu adversariorum, quos tales esse scis, vel putas esse, vide, quid tibi desit ad hoc, ut sis Capiti tuo conformis.

Punctum III. — Considera modum quo Christus gessit se cum iis, quos et divina et creata scientia, certo agnoscebat esse in statu peccati mortalis, vel sine illo, in statu magnae tepiditatis, et frequentium lapsuum venialium. Ex altera parte vide, quomodo te geras, et interno affectu, et externo agendi modo, et loquendi cum iis, quos vides Deum graviter vel venialiter saepe offendere. Et in omnibus Ca-

piti tuo Christo, te conforma, ut sis proportionatum membrum eius.

PUNCTUM IV. — Considera modum, quo Christus in templo, et pernoctans in oratione Dei, gerebat se erga Patrem coelestem in cogitando de eo, in amando eum, in orando eum, quoad materiam orationis, quoad modum et fervorem et situm orationis. Et agnitis ac defletis tuis disparibus moribus, statue, qua in re te emendare debeas, ut sis dignum Christo Capite membrum.

Meditatio XI.

De renovatione templi spiritualis.

PUNCTUM I. — Cum, teste Apostolo, *templum Dei simus et Spiritus Dei habitet in nobis*, et quidem *templum Dei sanctum simus* [1]), hoc est, esse debeamus, imo non tantum ratione animae nostrae et trium potentiarum eius, quae sunt veluti tria sacella huius templi, sed ipsa quoque *membra* corporis nostri *templum sint Spiritus Sancti* [2]): *secundam normam* perfectionis, ex hoc idea sumere debemus, et animam nostram et corpus renovare, et talia reddere, quae sint digna, ut in eis cum suo gustu et consolatione habitet Spiritus Sanctus. Si enim habitationem in aedibus nostris imperatori vel

[1]) I. Cor. III. 16, 17. [2]) Ibid. VI. 19.

regi praeparare deberemus, illam aptaremus convenienter tanto hospiti vel potius inquilino: quanto magis id faciendum est Spiritui Sancto, quia non ut hospes, ad tempus modicum, sed perpetuo quantum est in ipso, vult manere nobiscum, et nunquam a nobis discedere, nisi eum domo nostra pellamus, quod esset summa ingratitudo, impudentia et eius contemptus ac iniuria, extremis suppliciis digna. Resolve te ergo ad faciendam debitam praeparationem et renovationem tui templi pro tanto Inquilino.

Punctum II. — *Prima* conditio necessaria ut hoc templum animae et corporis tui pro mansione in eo Spiritus Sanctus aptum sit, est, ut sit perfecte mundatum ab omnibus sordibus. Sordes aedificiorum sunt duplices: quaedam foetentes, et hae in templo spirituali sunt peccata mortalia; aliae non foetentes quidem, sed quae valde offendunt oculos honestorum hominum eo intrantium; hae sordes sunt peccata venialia et transgressiones regularum, maxime incurrentes in oculos aliorum, cum quibus vivimus. Introspice ergo omnes parietes, et angulos et pavimenta huius tui templi spiritualis, et trium sacellorum eius, et vide, an reperiantur tales in eo sordes, et si quas inveneris, eiice bona confessione, bono dolore, et firmo proposito, eas iterum non inferendi.

Punctum III. — Considera *secundo*, ad templum hoc necessarium esse, ut eius parietes, praesertim

altaria sint pulchris picturis, et quidem non prophanis sed sacris, et historiis Sanctorom pulchre depictis ornata. Hoc erit in templo tuo, si et in anima tua et in corporis tui actionibus expressae et veluti depictae fuerint vitae Sanctorum; si ita ores, dormias, studeas, comedas ambules, bibas, te recrees, denique cuncta facias prout faciebant homines sancti. Examina ergo omnes tuas actiones internas et externas, et si quid sit novis coloribus renovandum ad imitationem Prototypi Sanctorum, renova, et maculas, si quas inveneris in tuis antiquis picturis, ablue lacrymis, vel saltem interno dolore, et bona confessione ac satisfatione, et seria inposterum emendatione.

PUNCTUM IV. — Considera *tertio*, necessariam esse ad hoc Spiritus Sancti templum, ut habeat sufficientem saltem, si non copiosam supellectilem pretiosam, non ligneam, nec ex vili aliqua materia, candelabra, casulas, antependia, calices, et alia: sed propter tam excellentem Inquilinum, Deum ipsum, debent esse omnia pretiosissima, proportionata tantae Maiestati. Hoc denotat, debere in te non qualescunque actus virtutum reperiri, sed valde heroicos, et perfectos, ut per eos efficiaris magnus Sanctus, vel certe, ut loquitur Aristoteles, «homo divinus». Vide ergo an talis sis; si non es, dole, defle tuam socordiam, cum ad hoc habeas tot media divina, tum auxilia eius

gratiae, tum tot habitus virtutum, tum tam frequentem usum Sacramentorum, tum lectionem librorum spiritualium, tum meditationes quotidianas, tum alia, quae singula per se sola possent te efficere sanctum, et hominem divinum. Detestare ergo tuam tepiditatem, et renova meliorem inposterum vivendi modum.

In «colloquio» defle tuam socordiam, gratias age Spiritui Sancto, quod tanta eius Maiestas dignetur te inhabitare. Promitte illi renovationem huius templi, et pete gratiam, ut ipse te efficaciter adiuvet ad hoc ipsum cito, serio, et perseveranter praestandum.

Meditatio XII.

De quibusdam resolutionibus.

Consideratis praecipuis propositis praeteritarum meditationum, deliberandum est, coram Sanctissima Trinitate, undiquae sanctis Angelis circumdata et sanctis Patronis, de his rebus:

I. — An debeam esse contentus, ut quotidie sine causa affligar verbis et factis a Superioribus et inferioribus.

II. — An evidentes calumnias in rebus gravibus mihi illatas, et me valde infamantes, debeam aequo animo, sine ullo prorsus desiderio vindictae, tolerare.

III. — An circa victum, vestitum, et cultum corporis et habitationem, debeam rebus

vilissimis, et cum magna sensuum repugnantia coniunctis, uti libenter, si ita Superiores permiserint aut voluerint.

IV. — An debeam in omni loco, ut civitate, provincia, collegio, cubiculo, et cum omni tali persona, a quibus maxime mei sensus abhorrent et inclinatio animi, vivere tota vita mea, si ita placuerit Superioribus.

V. — An sit aliquod tale officium, aut vile, aut molestum in Societate, quod non debeam usque ad mortem peragere, si ita Superioribus visum fuerit.

VI. — An debeam ita pro peccatis meis, et pro poenis inferni, quas merui, et pro beneficiis divinis, quae accepi, ita esse resignatus et paratus semper ad Dei, Superiorium, fratrum voluntatem exequendam efficaciter, ut omnia prorsus vellem facere et pati, nulla re excepta praeterquam si iuberer aliquod peccatum, ita, ut solum peccatum, nihil aliud sit, quod tota vita mea nolim facere, et solum peccatum meum sit, de quo conqueri debeam, et nihil praeterea aliud.

VII. — An debeam in omnibus procedere tam sancte, uti Christus et Sancti Dei processerunt in suis cogitationibus, affectionibus, sermonibus, omissionibus rerum non necessariarum vel noxiarum.

Meditatio XIII.

Die renovationis votorum.

Punctum I. — Considera, *tertiam normam* acquirendae perfectionis esse petendam ex sacrificio, quod in illo templo Spiritus Sancti, non tantum quoad animam, sed etiam quoad corpus, ut ait Apostolus [1]) peri debeat. Cum enim templa sint ad solum Dei cultum, praesertim per sacrificia, instituta, et debeant esse sine ulla foeditate, imo et sine rebus profanis: vide in quali templo hodie offeres Deo votorum tuorum sacrificia. An illud sit vel fuerit sine foeditate peccati, et sine defectibus profanis? Et quamvis nunc sit expurgatum bona confessione et lacrymis, et piis affectibus, tamen fuit antea non semel maculatum et profanatum. Unde duos affectus excita in te: 1^0, magnae humilitatis et confusionis ob praeteritas foeditates; 2^0, magni erga Deum amoris, qui dignatur vota tua suscipere, a te oblata in vase purificato quidem, sed in quo fuerunt sordes, et spurcitiae, et foeditates peccatorum, saltem venialium, quae sunt sordidiora, et foetidiora omnibus huius vitae sordibus et spurcitiis, et foeditatibus; cum tamem ne rusticus quidem acceptaret a te pretiosum vinum, si illi propinares ex vase mundato, quod

[1]) I. Cor. VI. 19.

antea adhibebas ad lotium, vel alias res sordidiores. Admirare ergo et obstupesce Dei dignationem, qui a nobis suscipit oblata sibi dona et vota, ex foedato toties corpore et anima nostra tot sordibus et foeditatibus peccatorum, saltem venialium, et accendere magno amore erga tam benignum Dominum, et hunc amorem ostende seria morum emendatione circa observationem votorum.

PUNCTUM II. — Considera, vota tua esse sacrificium propitiatorium, seu placatorium Divinae Maiestatis toties a te offensae. Cum autem ad satisfaciendi effectum conducat plurimum, imo potissimum poenalitas, seu afflictio, et fervens devotio, cum qua opera fiunt ad colendum Deum instituta: ideo da operam, ut hodie offeras Domino Deo tuo vota tua cum maximo devotionis fervore, praesertim, ut per eorum oblationem, in gratia factam, liber sis ab omnibus poenis quae debentur culpis tuis iam a Deo remissis; et deinceps ita vota tua observa, ut per actus difficillimos et heroicos paupertatis, castitatis, et obedientiae, proprius amor tuus et sensualitas sentiat afflictionem et poenam, quae tamen multis gradibus minor est ea, quae tuis, etiam quoad culpam remissis culpis debetur, et in hac et in altera vita. Revoca ergo in memoriam omnes occasiones et difficultates circa actus horum votorum, quae te antea ad peccata pertrahebant et turbabant; et

eas, ac similes deinceps fuge et noli eis cedere, sed vota observa et ama tanquam *dulciora super mel et favum* [1]).

Punctum III. — Considera, vota tua esse sacrificium eucharisticum, seu gratiarum activum pro beneficiis divinis. Acceptat enim magis Deus haec vota, quam verbalem gratiarum actionem sine factis aliis. Cum autem in vera gratiarum actione solet includi iucunditas quaedam et laetitia illius qui gratias agit, ut vota tua sint sacrificium eucharisticum, vive in statu et observatione eorum cum animi iucunditate et laetitia, ob beneficium vocationis, per quod ad haec vota emittenda pervenisti; et exclude omnes amaritudines ac gemitus, quibus tepidi, superbi et inquieti Religiosi confici solent, dum iis non succedunt res iuxta eorum desiderium. Excludes autem omnes amaritudines, si penetraveris, quanto gaudio in hac vita remuneretur Deus votorum observationem exactam in servis suis perfectis, et quanta praemia largiatur in coelis.

Punctum IV. — Considera, vota tua esse sacrificium impetratorium. Vota enim exacte observantes ita Deus amat, ut etiam conferat in eos beneficia quae optant, antequam ea a Deo petant, et multo magis talium desideria, quam aliorum exaudit Deus. Cum autem necessarium sit ad orationem impetratoriam, ut

[1]) Psal. xiii. 11.

fiat sine peccato, ideo, ut vota tua sint sacrificium impetratorium, da operam, ut illa serves sine ulla macula peccati et ruga imperfectionis. Ita enim eris templum dignum Spiritu Sancto, qui Ecclesiam suam vult esse, ut ait Apostolus [1]), sine *macula* et *ruga*.

QUARTA SERIES.

MEDITATIONES DE VOTIS ET PERFECTIONE RELIGIOSA.

Meditatio I.

De paupertate.

(Oratio praeparatoria more solito).

Primum praeludium. Cogita, te vocatum esse ad tribunal Sanctisimae Trinitatis vallatum tot Angelorum millibus, et Sanctis omnibus, qui vitam religiosam coluerunt, adstante et Angelo Custode tuo, et beato Ignatio, teque divinae Maiestati praesentante, ut ei reddas rationem quomodo hoc anno, vel hoc semestri observaveris paupertatem, tam quoad votum, quam quoad praescriptum regularum et aliarum ordinationum circa paupertatem.

Secundum praeludium. Pete a Domino duplex auxilium: 1^0, ut cognoscas omnes tuos defectus

[1]) Ephes. v. 27.

circa paupertatem; 2°, ut eos agnitos, et intime deploratos, in posterum caveas, et in hac virtute excellas.

Punctum I. — Considera primam ideam et exemplum paupertatis, expressum in vita Christi Domini et Apostolorum eius, quoad cibi et potus qualitatem, quantitatemque et modum, quoad vestium qualitatem et pretium, quoad lecti et habitationis incommoda, quoad supellectilis et rerum mobilium, quibus utebantur, exiguum numerum ac vilem earum materiam, quoad modum comparandi res pro necessitate corporis. Unde sequitur, non solum conqueri te non debere, si in domo Dei ita tracteris, quoad haec omnia, sed etiam te ipsum debere talem vivendi modum ultro sectari, concupiscere, et quaerere, imo multo incommodiorem, et deteriorem: siquidem in omni militia ducem exercitus et eius vicarios aequum est tractari melius et commodius quam gregarios milites, e quorum numero tu quoque es unus. Cur ergo vis commoditates maiores?

Punctum II. — Considera tuum vivendi modum in cibo, potu, habitatione, usum rerum, et earum quantitatem, qualitatem, numerum, modum, durationem, an sit conformis paupertati Christi et eius Apostolorum; et agnitis multis defectibus tuis, eos deplora, et praecipuos annota, ut inposterum caveas. Ut autem utilius sit hoc tuae paupertatis examen, consi-

dera te illud in conspectu divinae Maiestatis peragere, ut in primo praeludio dictum est.

PUNCTUM III. — Considera secundam ideam paupertatis, in regulis nostris depictam, quibus iubemur «paupertatem diligere tanquam matrem, et custodire et tueri tanquam murum Religionis», quo adversarii arcentur, interitum tuae Religioni procurantes. Hic cogita quo affectu, qua cura indefessa, quantis laboribus, si opus sit, amentur dilectae a filiis matres, et quibus in rebus hic amoris affectus erga eas se prodat. Item qua vigilantia custodiantur muri civitatis alicuius ab hostibus obsessae, ne tantillum illis damni inferatur, applica utramque similitudinem ad paupertatem, ut agnoscas quomodo amari debeat et custodiri, ne vel in re minima detrimentum patiatur.

PUNCTUM IV. — An in te is sit affectus amoris erga paupertatem, qui esse solet filiorum erga matrem, item an illa vigilans custodia paupertatis, qualis esse solet murorum hostibus vallatorum, et si talis est, age Deo gratias, et proficere stude; sin minus, erubesce coram Divina Maiestate, et Sanctis eius, qui statum paupertatis complexus, saeculi delicias consectaris, et vis te pauperem sine defectu; et forte pluribus commodis es deditus post saeculi fugam, quam esses, dum in saeculo viveres. Ideo pete veniam a Deo, et te ab hoc tempore tuae renovationis emenda.

Meditatio II.

De motivis ad crucis amorem excitantibus.

Punctum I. — Considera, peccata tua, etsi non essent nisi venialia, quotidiana, mereri poenas purgatorii omni supplicio huius vitae graviores: cum ergo adversitates huius vitae, et cruces immittat Deus, etiam ad exigendam satisfactionem pro peccatis admissis, merito debes omnes huius vitae adversitates aequo animo excipere, siquidem sunt longe minores poenis purgatorii.

Punctum II. — Considera statum Religiosi, qui, ut ait sanctus Climacus, «est perpetua naturae violentia»; cum ergo hunc statum elegeris, aequum est, te debere vivere in continua cruce, naturae tuae in omnibus contraria.

Punctum III. — Considera finem Religiosi, qui est Christum imitari, tanquam Deum et Ducem suum. Cum ergo Christus Dominus plura sit, idque tui causa, passus, aequum est, te pati minora, tum eius causa, tum quia hoc vitae genus elegisti, ut illum imiteris.

Punctum IV. — Considera Dei servos debere plus facere et pati pro Deo, quam servi mundi faciant et patiantur pro mundo. Cum ergo mundi sectatores, ut milites, mercatores, famuli, et alii tam multa adversantia iudicio, voluntati, propriae existimationi, et famae pa-

tiantur, aequissimum est te multo plura et facere et pati. Cur ergo te ad hoc praebes difficilem? Haec coram Deo pondera, et statue, quomodo te debeas gerere inposterum.

Meditatio III.

De respectibus humanis mortificandis.

PUNCTUM I. — Considera causas, propter quas soles ob humanos respectus, vel facere, quae Deo displicent, vel omittere, quae ei placent; et ponderata harum causarum futilitate, indignitate, damno, agnosce dignas non esse, ut ob eas omittas non omittenda, vel facias non facienda.

PUNCTUM II. — Considera quam sit res indigna pluris facere gustum humanum, quam gustum Dei. Confudere, et te serio emendare stude.

PUNCTUM III. — Considera quantis bonis te privas, quanta mala incurris, dum propter respectus humanos facis, quod non deberes, vel omittis, quod non deberes omittere, et tanto magis accendere ad odium humanorum respectuum.

PUNCTUM IV. — Considera defectus quos incurris, tum omissione bonorum, tum perpetratione malorum ob humanos respectus; et iis

defletis, veniaque postulata a Deo, propone seriam emendationem.

Meditatio IV.

De obedientia.

Primum et secundum praeludium simile praeteritis praeludiis, mutata tantum materia paupertatis in obedientiam.

Punctum I. — Considera, *primum* ideam obedientiae expressam in obedientia Christi et Apostolorum eius, Christi praesertim, qui erat subditus Iosepho et Mariae; qui servavit exacte legis veteris et novae instituta; solvit tributa tanquam subditus monarchis terrenis; mortis denique sententiam ab iniquo iudice latam suscepit libenter, *factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* [1]). Quae omnia ponderans grato et pio affectu, gratias ei age pro tanta obedientia tui causa exhibita, et cognosce te debere non minus esse obedientem. An autem sis, examina te, et corrige corrigenda.

Punctum II. — Confer obedientiam tuam circa personas, quibus Christus obedivit, cum non teneretur, et circa res in quibus eam ostendit; et vide, quam longe distes ab eius

[1]) Philipp. II. 8.

obedientia; nam et illis obedis quos non superas ulla re, sicut Christus superavit Iosephum, Mariam, Pilatum; et non obedis in rebus ita difficilibus, et ita iniquis, uti erat sententia mortis crudelissimae in cruce susceptae. Confundere ergo coram Divina Maiestate, veniam pete, adnotatisque defectibus inobedientiae praecipuis, eos stude vitare inposterum.

PUNCTUM III. — Considera, *secundam* ideam obedientiae in regulis expressam, in quibus Superiores audire iubemur tanquam Christum, in omni re quae peccatum non sit, non tantum eorum praecepta et monita opere et iudicii conformitate exequendo, sed etiam nutum et signa eorum voluntatis, sine ullo expresso praecepto. Et omnia attente pondera, et practice agnosce ad quantam tenearis obedientiae perfectionem pertingere.

PUNCTUM IV. — Considera an obedias iuxta ideam obedientiae. Quod si non obedis, dole, annota praecipuos defectus contra obedientiam, ut eos inposterum, Deo adiuvante, caveas.

Meditatio V.

De colloquiis spiritualibus.

PUNCTUM I. — Considera finem ad quem a Deo accepisti usum linguae, et sermonis, qui

duplex est: primo, Dei laus, secundo, manifestatio tuorum conceptuum mentis ad Dei gloriam, et tuum proximique bonum. Cogita itaque an sermonibus otiosis et saecularibus de rebus vanis et inutilibus Deum glorifices, et tuum aliorumque bonum procures; et hinc disce, quibus de rebus te inposterum deceat loqui.

Punctum II. — Considera quam multiplicia mala oriantur ex sermonibus non spiritualibus, et talibus, qui religiosum os dedeceant, et sancto odio eos detestare.

Punctum III. — Considera an tam frequens Eucharistiae sumptio, qua os, labia, gutturque tuum Dominus Iesus honorat et sanctificat, iure suo a te exigat ne haec inquines variis sermonibus, quae consecrasti in cultum Dei, tanquam vasa Deo dicata, et Dei praesentia sanctificata. Vide ergo quomodo debeas loqui; et ponderatis his rebus, humillime a Christo Domino veniam pete, quod ad rerum profanarum usum converteris, quae ipse ad sacrum destinavit.

Punctum IV. — Considera defectus omnes linguae, quibus agnosces, iuxta iustum Dei iudicium, te abuti lingua tua. Horum gravitatem perpende, defle, et seriam emendationem propone.

Meditatio VI.

De perfectione in genere.

PUNCTUM I. — Considera finem Societatis, qui est: «saluti et perfectioni propriarum animarum vacare, et impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere». Qua in re pondera tum excellentiam huius finis, tum ea, quae requirit a te, ut his rebus bene perspectis, cognoscas quam tibi serio sit incumbendum ad quaerendam tuam et proximorum tuorum perfectionem.

PUNCTUM II. — Considera quomodo hactenus tuam perfectionem quaesieris, quod agnosces discurrendo per praecipuas virtutes, scilicet: humilitatem, patientium, dilectionem inimicorum, fraternam charitatem, temperantiam in cibo et potu, devotionem, carnis maceratione m. In quibus virtutibus examina te, an in te sint magis perfectae quam in aliquibus saecularibus devotis, item an sint modo in te perfectiores quam fuerint initio tuae ad Religionem conversionis.

PUNCTUM III. — Considera motiva, quae habes ad perfecte vivendum in omnibus actionibus tuis, scilicet: Christi et Sanctorum exempla, praemia aeternae beatitudinis, tot auxilia interna et externa, quod habes omnia impedimenta saeculi a te ablata, et similia; unde

agnosce culpa tua te non esse perfectum, ideo dole, veniam a Deo pete, et te ab hac renovatione emenda.

Punctum IV. — Considera causas et impedimenta, ob quae parum profecisti in studio perfectionis; et ponderata eorum malitia, serio ea amovere stude, et ad contraria nitere; quod ut succedat, opem Sancti Spiritus et Sanctorum implora.

Meditatio VII.

De perfecta observatione regularum.

Punctum I. — Considera variam necessitatem observandi regulas, et utilitatem provenientem ex observatione regularum. Sine illis enim nec perfectionem assequi poteris, nec Divinae voluntati satisfacere, quae id a te exigit. Unde accendere ad magnum desiderium eas perfectissime observandi.

Punctum II. — Considera quam leves sint res, quae te impediunt ab exacta regularum observatione, et quam indignae, ut propter eas prives te ingenti et multiplici bono, cuius fiunt participes ii, qui regulas exacte observant. Unde damna stultitiam hac in re, et caecitatem tuam, et generoso animo propone vitare ea ob quae averteris ab observatione regularum.

PUNCTUM III. — Considera praecipuos tuos defectus in observatione regularum, tum erga Deum et res divinas, tum erga Superiores, tum contra aequales, tum erga inferiores te; et considerata singulorum malitia et damnis, quae adferunt, ea inposterum diligenter vitare stude.

PUNCTUM IV. — Considera altitudinem perfectionis evangelicae, quae in quibusdam regulis continetur, uti est illa de exuendo omni carnis affectu erga sanguine iunctos, de aequitate animi servanda si tui defectus Superiori detegantur, de fugiendis omnibus, quae mundus amat, et de concupiscendis iis, quae Christus Dominus amplexus est, praesertim amore iniuriarum, calumniarum, contumeliarum, de continua in rebus omnibus mortificatione, de recta intentione in omnibus rebus et operibus, ad solum Deum facienda, de imitanda in obediendo baculi et cadaveris facilitate. Unde agnosces quid tibi desit ex his, et quanto bono te privas, cum ad haec non aspiras.

Meditatio VIII.

De usu mediorum ad perfectionem consequendam.

PUNCTUM I. — Considera media Sacramentorum: Confessionis, et Eucharistiae tibi divi-

nitus data ad consecutionem multorum et magnorum Dei donorum; quam nimirum sint efficacia ex merito infinito Christi passionis et mortis, quam saepe illis utaris. Ac proinde quam plenus debes esse Dei donis, et omnibus virtutibus. Ex alia parte vide quantum hauseris hucusque; si parum, erubesce, dole, pete veniam; si multum, humiles et ferventes age Deo gratias.

Punctum II. — Considera media interna gratiae Dei, quae in te sentis, tum in intellectu, recipiendo lumina divina, ostendentia tibi quid fugere, quidve amplecti debeas; tum in voluntate, sentiendo eius excitationem ad boni amorem et mali odium. Hic duo pondera: 1°, frequentiam harum gratiae motionum; 2°, ad quid te impellant, ut agnoscas quid te facere et vitare oporteat.

Punctum III. — Considera media externa a Deo tibi data, pro tua perfectione, quae sunt: Superiorum monita et ordinationes, custodia, reprehensiones, poenitentiae iniunctae; aliorum bona exempla, regularum et ordinationum stabilium praescripta, auxilia ex aliorum precibus et meritis provenientia. Et vide quomodo profeceris per haec media, quibus in rebus deficias, et seriam propone emendationem.

Punctum IV. — Considera causas ob quas non profecisti, vel parum, etsi tam multa et efficacia media divinitus acceperis; et earum

considerata malitia, eas a te amove, et de practicis modis eas vitandi delibera, et Dei auxilium pro efficaci executione implora.

Meditatio IX.

Quaenam sunt renovanda.

PUNCTUM I. — Considera in hac renovatione, primam rem, quae renovari debeat, esse fervorem spiritus, qui situs est in accensa voluntate, omnia illa recte et perfecte faciendi, quae spectant ad obsequium Dei et occupationes tuas ordinarias, ad Dei gloriam tuumque ac proximorum bonum ordinatas; qui fervor et opera magis Deo grata reddit, magis meritoria, magis impetratoria, magis satisfactoria, magis facilia, iucunda, magis durabilia, uno verbo, magis perfecta. Quibus fervoris utilitatibus accendere ad eum excitandum et renovandum, et ita ad omnia et singula opera tua ordinaria perfecte facienda.

PUNCTUM II. — Considera secundam rem, renovandam esse animi puritatem, id est studium efficax, et purgandi animam si nondum purgata est, et conservandi eam inposterum ab omni labe peccati etiam minimi, quantum fieri potest. Ad quod excitet te ipsa puritatis praestantia, a Deo valde expetita, Sanctis, praesertim tuo Angelo carissima, Dei puritatis pia

aemulatrix, praeparans animam ad recipienda, conservanda, augenda Dei dona innumera in anima, faciens animam dignam recto ad coelos ingressu post hanc vitam, sine purgatorio, et alia bona praestans, quae pie indagare meditando potes; unde accendere ad omnes defectus, etiam levissimos efficacissime fugiendos.

Punctum III. — Considera, tertiam rem renovandum, esse crucis Christi desiderium et amorem, praesertim illius, quae commoditates corporis et sensualitatis enecat, et amorem honoris, existimationis propriae et famae; sine quo crucis amore vita quiete transigi nunquam potest. Cur autem crux Christi amanda tibi sit, revoca in memoriam motiva nuper ponderata in meditatione de hac re. Quare accendere ad tolerandum aequo, libenti, et hilari animo, illa omnia quae tibi displicere possint, solis peccatis exceptis.

Punctum IV. — Considera, quartam rem renovandam, esse magnae sanctitatis efficax desiderium, quod in te efficiat sitim perpetuam crescendi indies in maiori ac maiori semper perfectione, seu acquisitione solidarum virtutum, et observatione exacta regularum. Iste enim est finis nostrae Societatis, uti dicitur regula secunda et decima quinta Summarii; quam a Societate commendatam, et expectatam a saecularibus, in te pondera, et renovare stude.

Meditatio X.

Ipso die renovationis votorum.

PUNCTUM I. — Considera indignitatem tuam, qui vota tua renovare et offerre vis Divinae Maiestati: 1°, ob naturae tuae, infinito intervallo distantis a natura Divina, vilitatem; 2°, ob tot peccata tua; 3°, ob tuam exiguam virtutem collatam cum Divina perfectione. Unde multo es vilior respectu Dei, quam sit canis et vermis foetidissimus, respectu tui. Ideo profunde humilia te, et admirare Dei benignitatem, qui a tam vili creatura suscipit grato animo votorum oblationem, si recte fiat; et roga sanctum Angelum Custodem, ut te adiuvet.

PUNCTUM II. — Considera finem ob quem debes Deo vota tua offerre, scilicet gustum et gloriam Dei, quam procul dubio percipit Dominus tuus ex hac oblatione, si recte fiat; quod agnosces, si revocaveris in memoriam veteris legis oblationes, quibus omnibus est perfectior oblatio votorum; tantum da operam, ne quid eam foedet; quod si quid occultum sit, pete a sancto Angelo Custode et aliis Patronis tuis, ut id agnoscas, et sine mora abigas.

PUNCTUM III. — Considera quid Deo velis promittere dum vota offers, ponderando in quovis voto quid a te exigat, quousque se ex-

tendat, non tantum quoad essentialem in illis perfectionem, sed etiam accidentalem. Quae omnia ubi mente collegeris, tanquam in fasciculum colligata, praesenta Beatissimae Virgini Mariae, Matri tuae et Dominae, ut velit esse mediatrix, cum sancto Angelo Custode tuo et Patronis tuis, ad ea offerenda Divinae Maiestati.

Punctum IV. — Considera quam turpe sit non servare fidem Deo datam in oblatione votorum tuorum, sed ea quoad essentiam vel quoad accidentia infringere. Quod agnosces ex fidei datae regi alicui, sed violatae dedecore. Cum ergo Divina Maiestas et ob suam excellentiam, et ob beneficia erga te, mereatur, ut quod ei promisisti adimpleas, da operam, ut sis fidelis; ut autem sis fidelis, pete id ardenter a Christo Iesu per merita eius et sanguinem pretiosissimum, et a Beatissima Virgine, ab Angelo Custode, a sancto Ignatio et ab aliis Sanctis.

B) PUNCTA MEDITATIONUM
PRO VARIIS SPIRITUALIBUS INDIGENTIIS.

I. PRO DIEBUS VACATIONUM GENERALIUM.

Quia in octo vel novem diebus vacationum annuarum solet esse maior occasio vitae liberioris, scripsi ante triginta annos has novem meditationes, accomodatas ad incutiendum magis timorem Dei, et amorem propriae salutis, ne tunc anima per recreationes solito longiores dissipetur et spiritus intepescat.

Die primo.

De beneficio praedestinationis.

Punctum I. — Considera quanta sit felicitas illius animae, quam Deus in mente sua habuit ab aeterno, prius quam eam creasset, illam tenere diligendo, et ex hac dilectione destinando ad tot beneficia: naturae, gratiae, et gloriae suo tempore ei conferenda. Ex altera parte considera alia multa, quae animam, in omnibus hominibus (excepto Christo Domino et Beatissima Virgine Maria) reddebant indignam tali amore Dei, scilicet: pro-

pria eius naturalis indignitas et vilitas, collata cum infinita perfectione Divinae naturae, tot aliis peccatis futuris saltem venialibus foedanda: quibus tamen non obstantibus, Deus praedestinatorum animas diligebat, et ex earum in sua mente praevisione, sibi complacebat. Unde admirare Dei bonitatem, et felicitatem talium animarum, gratias age Deo pro tali bonitate, adoraque eam in Deo, tanquam fontem bonorum omnium; et excita in te hoc desiderium, ut sis unus ex illis, quos Deus ita ab aeterno amando destinavit ad vitam aeternam.

Punctum II. — Considera, praedestinationem Dei nihil aliud esse, nisi ordinationem Dei, qua Deus creaturam suam rationalem ordinat ad consecutionem aeternae beatitudinis, per quaedam media supernaturalia, per quae vult omnino efficaciter illam ad hoc certo tempore pervenire, et prorsus ex parte sua infallibiliter. Unde excita in te ingens desiderium a Deo illa media habendi, per quae Deus praevidet salvandos illos, quos vult infallibiliter salvari. Nam sine illis mediis, nullum unquam salvavit, aut salvabit, ne quidem Christi animam. Ut autem afficiaris valde et ardenter ad haec media possidenda et a Deo acquirenda, considera illorum praestantiam, utilitatemque tuam ingentem, infiniti boni possessionem admirabilem adferentem iis, qui illa a Deo consequuntur.

PUNCTUM III. — Considera nulli prorsus mortalium sine peculiari Dei revelatione, quod fortasse valde paucis in hac vita conceditur, certo constare, quae praecise sint illa media in particulari, per quae unusquisque praedestinatorum pervenire ad moriendum in gratia, et ita salvari debeat; unde sequitur necessario, illa media, quae possunt hominem ex Dei beneficio retrahere a malo et reducere ad bonum, esse magnifacienda, et nullum eorum vel parvifaciendum vel omittendum. Pondera diligenter huius rei necessitatem, ut certam reddas tuam salutem. Hoc est enim quod monet sanctus Petrus: *Fratres satagite, ut per bona opera, certam vestram vocationem et electionem faciatis* [1]).

PUNCTUM IV. — Considera, praedestinationem etsi Dei donum sit maximum, tamen non a solo Deo pendere salutem praedestinatorum, sed omnino requiri in adultis et ratione utentibus liberam cooperationem intellectus et voluntatis, et exterioris observationis rerum, quas Deus vult observari. Quare stulte illi loquuntur, qui nihil volendo facere, totam suam salutem in Deum reiiciunt; quocirca quem Deus praevidet ex sua gratia salvandum, praevidet non aliter, quam per media, quae ei suo tempore propter hunc finem dabit, si eis utetur, salvum fore; ideo illa amplecti debet, alias

[1]) II. Petr. I. 10.

peribit. Exardesce ergo amore huius cooperationis, eamque procura, et a Deo pete.

Die secundo.

De quatuor signis praedestinationis.

Punctum I. — Considera, *primum* signum praedestinationis esse, plenam Dei mandatorum observationem; nam cum Christus dixerit: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata* [1]): quicunque illa servabit ad mortem, sine dubio salvabitur. Danda ergo tibi est opera, ea ut serves; quod si non servasti antea, dole, et prout par est, pro non servatis satisfacere stude, et ne iterum ea violes, talia adhibe media, quae ad id conducere possunt; et quae illa sint, cogita, eaque amplectere.

Punctum II. — Considera, *secundum* signum praedestionationis esse vitam crucibus plenam, quarum tamen non sis culpabilis causa: *Arcta est via, quae ad coelum ducit, et pauci ingrediuntur per eam* [2]), dixit Redemptor noster. Cogita, quaenam sit arcta ista via, et in quo sita, et vide, an tu secteris illam amesve, et emendatis quoad hoc defectibus tuis, mores tuos reformare stude, et ad viam hanc arctam accommoda.

---

[1]) Matth. xix. 17. [2]) Ibid. vii. 14.

PUNCTUM III. — Considera, *tertium* signum praedestinationis esse, Christi imitationem: *Si quis mihi* ministraverit, inquit ille, *me sequatur, et ubi ego sum, illic et minister meus erit* [1]). Cogita ergo, quid sit Christum sequi et imitari, et quibus in rebus te illum imitari deceat, examinatis quoad hoc moribus tuis; et statue firmiter, in quibus rebus particularibus eum imitari debeas.

PUNCTUM IV. — Considera, *quartum* signum praedestinationis esse statum religiosum ad mortem conservatum: *Qui reliquerit domum, vel fratres, vel sorores... centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* [2]). Gratias hic imprimis Deo age, quod te vocarit ad talem statum, cui promisit tam clare vitam aeternam. Excita deinde in te magnum amorem erga hunc statum; et cogita, quae te possint ab illo ratrahere, quae item in eo retinere, ut illa vites, haec ames.

Die tertio.

De quatuor aliis signis praedestinationis, seu membris et partibus praeteritorum signorum.

PUNCTUM I. — Considera bonum esse praedestinationis signum, conscientiam abhorrentem ab omni peccato, etiam levissimo plene delibe-

[1]) Ioan. XII. 26. [2]) Matth. XIX. 29.

rato. Nam verum est, quod dixit Spiritus Sanctis: *Non intrabit in eam aliquid coinquinatum* [1]); et de Sanctis dictum est: *Sine macula sunt ante thronum Dei* [2]). Hic considera quam aequum sit cogitare, tali conscientia praeditos, vere ad praedestinatorum catalogum pertinere. Proinde excita in te amorem talis conscientiae, motivis ad hoc desiderandum excogitatis; et tua circa hoc negligentia defleta, emendationem propone.

Punctum II. — Considera, praedestinatorum proprium esse, carnem propriam affligere, iuxta illud: *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis* [3]). Potissimum enim omnia impedimenta salutis ex carne petulante oriuntur, unde, qui eam atterunt, magna habent inde salutis subsidia. Tu quomodo hac in parte te geras, inquire, et quae corrigenda inveneris, corrigere inposterum stude.

Punctum III. — Considera, praedistinatorum et hoc esse peculiare, amare inimicos, idque tenere, idque cum beneficiis adiunctis erga illos. Hoc Christus innuit dicens: *Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est* [4]). Tu quomo-

---

[1]) Apoc. xxi. ult. [2]) Ibid. xiv. 5. [3]) Gall. v. 24. [4]) Matth. v. 44, 45.

do hoc Christi dictum adimpleas, perpende, et deploratis tuis culpis, contraria proposita Deo offer, adductis motivis, ob quae par est, te amare eos, a quibus aliquid pateris, vel antea es passus.

PUNCTUM IV. — Considera, hoc quoque praedestinatorum esse propriun, affici ad res divinas et spirituales: *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam, quoniam ipsi saturabuntur* [1]), scilicet in convivio coelesti. Et: Qui esuriunt me, inveniunt me; qui quaerit me, eum *non eiiciam foras* [2]). Tales autem esuriunt Deum et iustitiam, qui habent affectum ad res Dei et gustant illas. Tu an sis e numero illorum inquire, et causas cur non es; et defletis tuis defectibus, cogita, qua in re te emendare debeas inposterum.

Die quarto

De impedimentis aeternae salvationis.

PUNCTUM I. — Considera, peccata mortalia esse immediata impedimenta salutis, quae si non sint in anima, eam salvari certum est, si in tali statu mors contingat. Tu si conscius es peccatorum admissorum mortalium, defle tuam infelicitatem, et vide, an ea ex anima sufficienter excluseris, et tam efficaciter te re-

[1]) Matth. v. 6. [2]) Ioann. VI. 37.

solve ad eorum odium, ut moraliter loquendo ne quidem possis in ea labi, fretus Divina gratia, iuxta illud: *Omnis qui natus est ex Deo,... non potest peccare* [1]), scilicet mortaliter.

Punctum II. — Considera, *viam*, per quam quis devenit ad peccata mortalia, esse: contemptus peccatorum venialium, et non talis eorum fuga, qualis esse debet. Hoc patet et experientia, si res tuas bene introspexeris, et exemplis etiam bonorum. Sic enim et Adamus cum Eva, sic David, sic Iudas, et alii quoque Sancti prolapsi sunt, a parvis ad detestanda. Tu inquire an abhorreas a peccatis levibus, vel potius an illa non cures; et prout in te inveneris, ita statue inposterum, vel vitare ea, vel pergere in iis vitandis, assignatis praecipuis, quae te possunt pertrahere ad lapsus graves; quod cognosces, consideratis peccatis, inclinatione ad illa, fragilitate tua, et similibus.

Punctum III. — Considera, *secundam* viam delabendi ad peccata mortalia esse, non sequi monita Superiorum, qui et experientia in multis, et Sanctorum testimonio edocti, quaedam vetant, quae videntur levia, quae tamen sunt maximi momenti. Tu an hac in parte te bene geras, vide, et adnotatis iis rebus, in quibus discedis a consiliis maiorum, serio te inposterum corrige.

---

[1]) I. Ioann. III. 9.

Punctum IV. — Considera, *tertiam* viam incidendi in mortalia, esse defectum luminis in intellectu, peccati turpitudinem et pericula ponderantis, et carentiam odii peccati. Utrumque nascitur ex defectu diligentis meditationis, in qua Deus intellectum illuminat ad cognoscenda necessaria, et voluntatem movet ad bona. Vide ergo ut hac in parte te emendes.

Die quinto.

De auxiliis ad aeternam salutem consequendam.

Punctum I. — Considera, *primum* auxilium esse, omnipotentis Dei charitatem, qui *omnes vult salvos fieri* [1]), *et* neminem *perire* [2]); quae charitas si ad quempiam non se extendat efficaciter, non salvabitur. Cum ergo charitas Dei pro obiecto habeat bonum, ut circa te versetur, bonum te esse opertet, qualis ut sis, ipsa hoc efficit, communicando tibi dona spiritualia, quae te bonum in oculis Dei faciunt. Ideo cavendum est tibi, ne peccatis tuis obicem ponas in te donis istis, eisque aditum praecludas, quin potius ut illa expetas, admittas in te, Dei gratia adiutus, et ad mortem conserves, ut ita salvari queas. Hoc an facias exquire, et, si quid corrigendum est, serio et cito corrige.

[1]) I. Tim. II. 4. [2]) II. Petr. III. 9.

Punctum II. — Considera, *secundum* auxilium ad salutem esse merita vitae, passionis, et mortis Christi, eaque infiniti valoris, ob infinitam dignitatem personae Dei incarnati, talia pro te passi; hinc concipies magnam spem salutis tuae, tam magno auxilio fretae, Deoque ingentes ages gratias pro tanto beneficio. Ad extremum exquires a te rationem, cur, cum infinitum habeas paratum auxilium, tamen tam exiguum in te fructum cernis. Haec bene pondera, et obstacula tolle.

Punctum III. — Considera, *tertium* auxilium esse ad salutem, efficaciam Sacramentorum, quae in Ecclesia Dei tam saepe percipis, per quae rite suscepta, fidelibus effectus Christi passionis et mortis intime applicantur, per infusionem internam variarum virtutum et donorum coelestium, et per extrinseca varia auxilia, ad avocandum hominem a malo et ad conducendum ad bonum, et ad confirmandum in bono spectantia. Hic admirare bonitatem optimi Patris tui coelestis, qui per res tam faciles et tam accommodatas fragilitati tuae, tam multos et magnos thesauros communicat. Et gratiis actis, iterum inquire, cur tam exiguum fructum percipis ex tam frequenti Sacramentorum perceptione, et impedimenta remove.

Punctum IV. — Considera quantum auxilium ad salutem, gratiae divinae motiones conferant, quibus et intellectus tuus illustratur in

cognitione rerum ad salutem spectantium, et voluntas movetur, tum ad odium mali, tum ad amorem boni. Hic inquire, quam saepe has divinae gratiae motiones et impulsus in te sentias, et ad quae obiecta seu res, saepius; et deplorata tua seu duritie, seu inobedientia, imploratque divina ope, propone emendationem, annotatis praecipuis hac in parte defectibus inposterum cavendis.

Die sexto.

De aliis auxiliis ad salutem aeternam.

PUNCTUM I. — Considera, plurimum promovere nostram salutem bona exempla Sanctorum, tum vivorum, tum mortuorum. His enim plurimi moti sunt ad conversionem et vitam sanctam, inter quos et S. P. N. Ignatius fuit. Unde aequum est, nos eius filios, his excitari modis ad ardenter curanda nostrae salutis, imo et perfectionis negotia. Confer ergo vitam tuam cum vita Sanctorum, praesertim Societatis nostrae, et agnita magna differentia inter utramque, deplora tuam tepiditatem, et excita te ad studium eos imitandi, consideratis motivis, quae te ad id excitare possint.

PUNCTUM II. — Considera sacras conciones plurimum prodesse ad hominum salutem, etiamsi sint rudes et ab indoctis fiant. *Placuit* enim

Deo, ut ait Apostolus, *per stultitiam praedicationis salvos facere credentes* [1]). Ad sacras conciones referri possunt monita et exhortationes virorum spiritualium. Tu considera, quo fructu haec audias, et si quid est hac in parte corrigendum, corrige.

Punctum III. — Considera, vitae huius adversitates promovere tuam salutem, si eo quo par est modo suscipiantur. *Per multas* enim *tribulationes, oportet nos ingredi in regnum coelorum* [2]). Et, nemo coronabitur, *nisi qui legitime certaverit* [3]). Cur ergo moleste fers dum aliquid pateris? cur non proficis, dum pateris? ut solent amici Dei, qui tunc sunt ferventiores in divino obsequio, cum affliguntur magis.

Punctum IV. — Considera, Superiorum vigilantiam esse non postremum auxilium ad consequendam salutem, illi enim, uti vicarii Dei, Deo dirigente, experientia instruente, praevident pericula salutis, ideoque multa negant, pleraque vetant, alia iubent vel suadent, ut recto tramite suos ducant ad coelum. Tu an cum debita simplicitate et obedientia ductum eorum sequaris, et an Christo practice credas dicenti: *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit* [4])? Examina te, et totum te trade

---

[1]) I. Cor. I. 21. [2]) Act. XIV. 21. [3]) II. Tim. II. 5. [4]) Luc. X. 16.

Deo, per eius Vicarios regendum, ne a via salutis aberres.

Die septimo.

De incertitudine salutis.

PUNCTUM I. — Considera neminem esse Sanctorum in hac vita certum de sua salute, ut definivit Concilium Tridentinum, nisi id Deus peculiari modo alicui revelet. Unde sequitur, cum tali revelatione careamus, et ex altera parte certo sciamus nos multa peccata commisisse, forte omnes, ob quae promeriti sumus aeternam damnationem, quantopere nobis laborandum sit, ne ab iusto Iudice Deo damnemur: ideo danda est nobis opera, eum ut nobis faventem et amicum habeamus; quod qua ratione assequi possis cogita, et labora.

PUNCTUM II. — Considera neminem certum esse infallibili certitudine, an adhibuerit eo modo illa media, quo debeat, ad nostram salutem instituta a Deo, scilicet Sacramenta, per quae peccata nobis ex Dei misericordia, vigore Christi meritorum remittuntur. Ideo, cum ait Sanctus Spiritus: *Cum tremore* et timore opereris *tuam salutem* [1]), et his mediis accurate utaris, tanto magis, si forte conscius es, te male usum his mediis, ne tandem Deus illa tibi adimat

[1]) Philipp. II. 12.

ante mortem, quia te facis illis indignum, male iis utendo.

Punctum III. — Considera, etsi esses certus de te, saltem certitudine morali, quod bene utaris his mediis ad consequendam salutem datis, divinitus tamen non es certus infallibili certitudine, an sacerdotes aliive, quorum ministerio opus est ad vim Sacramentorum percipiendam, recte tibi ea applicuerint. Et quidem bene debes de illis sentire, nec scrupulis dare locum, tamen, quia id non est infallibile, ideo time, et Deo ferventer servire stude; nam non deserit eos, qui eum ex intimo affectu diligunt, et divina sua providentia inducet te ad cognoscendum, si quis defectus contigit ex parte eorum, eum ut emendes, et saluti tuae consulas; quod divina bonitas variis modis praestare potest et solet, vel per lectionem librorum piorum, vel per colloquia pia, vel per conversationem cum certis personis, vel alio modo, ut agnoscatur error, et corrigatur.

Punctum IV. — Cum salus tua sit arduum negotium et incertum, hoc certum est, debere te nihil omittere eorum, quae ad eam conducunt. Ideo exequere illud Sancti Spiritus monitum: *Quodcunque facere potest manus tua, instanter operare; quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia est apud inferos, quo tu properas* [1]).

[1]) Eccle. ix. 10.

Die octavo.

De difficultate salutis.

PUNCTUM I. — Considera, neminem posse salvari, imo nec minimum opus bonum, quod ad salutem conducit, imo quod ad salutem aeternam disponat, posse ab ullo mortalium fieri solis naturae viribus, etiam generale Dei auxilium et concursum habentibus. Nam si *nemo potest dicere: Dominus Iesus, nisi in Spiritu Sancto* [1]), ut ait Apostolus, multo minus a nobis fieri possunt opera, quae verbis piis sunt difficiliora, sine speciali auxilio gratiae Dei supernaturalis. Hinc, agnita naturali imbecillitate, imo impotentia, time, humilia te, non praesumas de tua salute, sed eam pete a Domino Deo magno fervore, ut suppleat defectum virium tuarum.

PUNCTUM II. — Considera, sola Dei supernaturali gratia, quam ob Christi merita confert, quibus vult, hanc nostrae naturae imbecillitatem iuvari; quae auxilia nemo potest hominum mereri, vel conciliare, vel impetrare sibi aliisve, per opera sine supernaturali Dei adiutorio facta, sed opus est, ut Christus Caput omnium, applicando infinita merita sua, infundat in membra sua, illa supernaturalia auxilia,

---

[1]) I. Cor. XII. 3.

quae sunt necessaria ad meritum et consecutionem salutis aeternae. Ideo curandum est tibi diligenter, ne Christum tibi reddas peccatis tuis offensum, peccata enim tua sunt impedimenta, ne Christus tibi sua auxilia largiatur, et postquam ea tibi offert, ne suum in te effectum sortiantur. Et sic verum est illud Prophetae: *Perditio tua* ex et *Israel* [1]).

Punctum III. — Considera, multa impedimenta salutis profluere ex creaturis ipsis, si quis non bene ipsis, sua culpa utatur. Ideo Sapiens ait: *Creaturae Dei in odium factae sunt, et in tentationem animabus hominum et in muscipulam pedibus insipientium* [2]). Tu an non id expertus sis, vide, et deplorata tua insipientia praeterita, statue, quomodo iis inposterum uti debeas, ne per illas salutis tuae iacturam facias.

Punctum IV. — Considera tuos hostes duos: internum: carnem rebellem cum affectibus tuis indomitis, et externum: diabolum, qui *tanquam leo rugiens circuit, quaerens quem devoret* [3]). Vide ergo quomodo te utrique opponere debeas, ne in negotio salutis succumbas, uti hactenus forte non semel succubuisti.

---

[1]) Os. XIII. 9. [2]) XIV. 11. [3]) I. Petr. V. 8.

Die nono.

De praestantia salutis.

PUNCTUM I. — Considera id, in quo est sita salus tua, scilicet in clara Dei visione per intellectum, et fruitione eius, omni bono et voluptate coelesti plena, per voluntatem; quae res est summum et ultimum bonum hominis, quo maius habere nequit; propter cuius consecutionem homo creatus est; et hoc bonum etiam ipsius Dei est summa felicitas, licet in illo sit infinitis partibus maius, quam in nobis Unde sequitur, hoc bonum esse maius omnibus honoribus regum et imperatorum, divitiis omnibus, voluptatibus, et delitiis huius vitae. Gratias age Deo, quod te creavit ad finem tam nobilem et altum; et excita in te ac semper conservare stude heroicum desiderium consequendi hoc bonum.

PUNCTUM II. — Considera omnimodam diligentiam, qua debes procurare huius boni consecutionem, multis laboribus, aerumnis, difficultatibus, molestiis, adversitatibus parandam; quod cognosces te debere facere, si consideraveris, quam multa et gravia patiantur coloni, propter victum quaerendum, famuli propter stipendia, mercatores et opifices propter lucra, milites propter famam et divitias, alii propter alia. Unde sequitur te plura his et diligentius

debere facere et pati, quam illi faciant et patiantur, siquidem maius bonum exigit maiorem curam et tolerantiam.

Punctum III. — Considera an hactenus ita laboraveris pro consequenda tua salute, uti dictum est, fieri a mundanis pro consecutione bonorum mundanorum. Ideo hic deplora tuam stultitiam, Deum placare stude, ne offendatur ingratitudine tua, et seriam in aliquot rebus particularibus propone emendationem.

Punctum IV. — Considera quibus modis tam multi reges, episcopi, monarchae, etsi in delitiis enutriti, tamen ardenter quaesierint salutem suam per vias valde arctas, et sensibus adversantes. Item, quam multae tenerae Virgines, Martyres, Eremitae, aliique Confessores sancti. Ideo eorum exemplo accendere ad imitationem eorum dignam statu tuo, vocatione tua, tot auxiliis, quae ad hoc habes, non tantum ut salveris, sed ut quam proximus sis Deo, in curia coelesti, propter maiorem eius gloriam, et consolationem Christi Redemptoris tui.

II. CONTRA PUSILLANIMITATEM.

Meditatio I.

Motiva contra eam.

(Oratio praeparatoria more solito).

Primum praeludium erit: aspicere Christum Dominum sedentem, ad dexteram Patris, verba sua illa repetentem: *Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis etc.*[1]).

Secundum praeludium erit: petere a Spiritu Sancto gratiam, penetrandi intime eximiam Dei erga nos charitatem.

Punctum I. — Considera, primum motivum sentiendi de Deo in bonitate, et hoc sensu pusillanimitatem et spiritus et cordis angustiam repellendi, esse aeternam Dei dilectionem, eamque infinitam; ex qua ortum est, quod ait sanctus Petrus: *Nolens aliquem perire*[2]), nisi quis ipsemet perire velit. Unde bene Oseas propheta Spiritu Dei ait: *Perditio* ex te *Israel*[3]). Cum ergo tu nolis perire, et hoc ipsum nimium timens, angustum cor habeas, excute has angustias, et crede Deo, ac de eius bonitate bene senti, quod te nunquam abiiciet a se, si tu nolis, uti Dei beneficio non vis.

---

[1]) Matth. xi. 28. [2]) II. Petr. iii. 9. [3]) Os. xiii. 9.

Punctum II. — Considera, secundum motivum contra pusillanimitatem esse Dei dilectionem, qua fertur in te, quae maior est procul dubio quam sit et tuus, et patris, aut matris aut sororis tuae, vel si non habes, quam sit alicuius alterius servi Dei, si quem nosti esse magnum Dei amicum et Deo charum, erga te spiritualis amor et erga tuam salvationem. Sicut ergo non desperares, nec te metu conficeres, si tuam salvationem scires positam in tuo arbitrio, vel arbitrio illius servi Dei, imo positive certo confideres ab illo te salvandum: multo magis id sperare debes a maiore Dei erga te dilectione.

Punctum III. — Considera, tertium motivum eiusdem rei esse Christi Redemptoris nostri affectum erga te, tanquam Capitis tui erga membrum suum, quod ei cupiat esse charum, et conetur esse. Sicut enim *nemo... carnem suam odio habuit* [1]), ut ait Apostolus, ita multo minus Christus odit ea membra quae ei volunt esse unita, et ideo timent ne abscindantur, et ne abscindantur, eum rogant suppliciter, et ad impetrandum hoc efficacius, varia media adhibent, scilicet, preces servorum Dei, eorundem consilia, et Sanctorum intercessiones, et alia.

---

[1]) Ephes. v. 29.

PUNCTUM IV. — Considera dulcissima illa verba Concilii Tridentini [1]), ex sacrarum Literarum doctrina decerpta: «Deus sua gratia semel «iustificatos non deserit, nisi ab eis prius desera«tur». Ideo cum ordinarium medium ad iustificationem, sanctum Sacramentum poenitentiae eo modo susceperis quo optime potuisti, suscepta cum humili spe Dei iustificatione, et sollicitus sis ne deseraris a Domino: hoc ipso non vis eum deserere; et ideo non timeas, non deseruit te, nec deseret, quamdiu habebis hanc voluntatem eum peccato mortali non offendendi. Ideo potius pete, ut conservet hac voluntatem in te, et desiderium eius gratiae, resecata ab eo nimia anxietate et cordis angustia.

Meditatio II.

Alia motiva.

PUNCTUM I. — Considera, Deum, uti in allis virtutibus, ita etiam in spe velle nos crescere et esse perfectissimos: spiritus autem pusillanimitatis directe tendit ad spei diminutionem. Quocirca tantum abest, ut Deo placeat, ut potius displiceat, tanquam inclinans ad male sentiendum de Divina misericordia, quam Deus uti alias perfectiones suas cupit a nobis magni

[1]) Sess. VI. c. 11.

fieri, non tantum verbis, sed maxime interno iudicio et eximio conceptu de illa.

Punctum II. — Considera, Christum Dominum uti Redemptorem nostrum cupere, ut de passione eius ac meritis, ac de efficacia redemptionis nostrae quam optime sentiamus; hoc enim in eius gloriam redundat, et commendationem eximiae eius erga nos charitatis. Quocirca quo magis iudicio nostro extendemus eius merita, eo ei etiam maiorem cultum deferemus; atque ita ad te quoque extende opus redemptionis eius, humili affectu cogitando, te esse illius participem, tum per infusionem gratiae per Sacramenta, quae frequentas, tum per destinationem tui ad gloriam, ad quam consequendam ius tibi quoddam tributum est per infusionem gratiae in Sacramentis, et per bona opera supernaturalia.

Punctum III. — Considera, Spiritum Sanctum uti infinitum amorem Patris et Filii, ut fontem bonorum omnium, vehementer se communicare omnibus hominibus, qui eius gratiae obicem non ponunt. Quare cum unus tantum sit obex gratiae, affectus ad aliquod peccatum mortale, seu mansio in eo cognito, cum per Dei gratiam hunc in te obicem non agnoscas, ne dubites coniecturali certitudine, te esse ei gratum, et semper fore, quamdiu habebis hanc animi aversionem a quovis peccato mortali.

PUNCTUM IV. — Considera Dei bonitatem, quae non excludit te a numero suorum filiorum, etsi in te videret multa peccata mortalia confessione non expiata, si ea ex ignoratia aut oblivione inculpabiliter omisisti. Imo existima, omnia talia peccata esse remissa per susceptionem legitimam Sacramentorum. Quid ergo est, quod te affligit, si peccata ipsa tali ex causa non confessa affligere non debent. Tantum ergo da operam, ut ad ea non redeas, quod facile Dei auxilio poteris.

Meditatio III.

Item alia motiva.

PUNCTUM I. — Considera dulcissima illa verba Apostoli: Salvator noster Deus *omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* [1]), et causam huius rei additam: *Unus enim Deus, et mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus,... qui dedit... semetipsum pro nobis omnibus* [2]). Cum ergo Christi Redemptoris vis maior sit omnibus peccatis tuis, et cum ea sit coniuncta voluntas te salvandi, spera in Deo, et in divitiis bonitatis eius, quia, ut ait Spiritus Sanctus, *nullus speravit in Domino, et confusus est* [3]).

---

[1]) I. Tim. II. 4. [2]) Ibid. 5, 6. [3]) Eccli. II. 11.

Punctum II. — Considera, signa et effectus divinae volutatis volentis nos salvare, non posse esse certiora, quam si det media ad salutem simpliciter necessaria, haec autem in adultis sunt: vera fides, et vita servans mandata Dei. Cum ergo utrumque Dei beneficio consecutus sis, es enim in vera Ecclesia, et servas decalogum, et nullum praeceptum a te, quod scias, violatum est, quod per Confesionem non expiaris, et post illam caves quam potes ne violes: ideo quamdiu manes in tali statu, existima Deum velle ut salveris.

Punctum III. — Considera, finalem quoque perseverantiam in vita bene coepta te sperare debere a Deo; Deus enim, ut in hac re disserens, ait ex Apostolo Concilium Tridentinum [1]), «nisi ipsi illius gratiae defuerint» per homines sicut *coepit opus bonum, ita perficiet...* operans *velle et perficere* [2]). Tantum ergo da operam, ne Deum peccato mortali offendas, quod solum Dei gratiam excludit, de cetero laetus esto.

Punctum IV. — Considera, teneri Deum ex fidelitate promissionis suae salvare te, si hoc a Deo petieris, et simul ut tibi det omnia ad hoc necessaria, siquidem orantes se exauditurum promisit. Tu ergo pulsa fores Divinae clementiae assiduis precibus, duo ab ea petens: 1°, ut te salvet; 2°, ut det tibi efficacia media

[1]) Sess. vi. c. xiii. [2]) Philipp. i. 6; ii. 13.

omnia ad finalem consecutionem salutis, et ne dubita adfuturam tibi eius misericordiam, qui dixit: *Omnis.., qui petit accipit, et qui quaerit, invenit, et pulsanti aperietur* [1]).

Meditatio IV.

De signis electorum.

PUNCTUM I. — Considera primum signum electorum: aversionem animi a peccatis mortalibus et vitam ab eis liberam. Quae duo cum tibi Dominus dederit et in te foveat, laetus esto; tantum da operam, ut haec in te semper permaneant; quibus manentibus, temeritas esset timere damnationem vel imperseverantiam in in bene coeptis.

PUNCTUM II. — Considera secundum signum electorum, quod est, esse Religiosum, iuxta illa Christi verba: *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres aut sorores, aut patrem, aut matrem... propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit* [2]). Quod cum Dei beneficio feceris, laetus esto; tantum da operam, ut in hoc statu perseveres ad mortem, hoc autem poteris sperare inposterum, si tam diu perseverasti, quia indies vita religiosa erit facilior.

[1]) Matth. VII. 8. [2]) Ibid. XIX. 29.

Punctum III. — Considera tertium signum electorum Dei: habere animum aversum ab omni peccato veniali plene deliberate committendo. Quod etiam cum tibi Deus dederit, laetus esto, tantum contende, ut hanc bonam voluntatem foveas; fovebis autem diligenti Divinarum rerum consideratione et piis colloquiis; quod cum in tua potestate sit, poteris Divino auxilio magis ac magis indies accendere in te hanc ab omnibus defectibus animi aversionem.

Punctum IV. — Considera, ad perseverantiam in Dei obsequio et gratia, plurimum conducere arctum vivendi modum, qui situs est in duobus: 1°, in corporis sensuum oblectamentis non necessariis prorsus fugiendis; imo etiam ex necessariis parcissime et saepe cum incommodo, citra tamen valetudinis iacturam, adhibendis; 2°, in vita irreprehensibili, quam adfert custodia exacta regularum omnium, etiam minimarum. Quare haec duo cura, quae si habes, proiice te in Divinas manus, quia non derelinquet quem sic se quaerentem, sibique adhaerentem invenerit.

Meditatio V.

Motiva ex verbis Christi.

Punctum I. — Considera illa Christi Domini verba dulcissima: *Omne quod dat mihi Pa-*

ter, ad me veniet; et eum qui venit ad me, non eiiciam foras [1]). Cum ergo ad Christum veneris, et a mala vita ad meliorem, et a statu saeculari ad religiosum, praesertim tam ordinatum, sanctum, et Iesu charum: gratias age, quia te Pater aeternus traxit ad Iesum, Iesus autem promisit te talem non abiecturum. Tantum da operam, ne te illi eripias per vitae improbitatem; a quo quoniam abhorres, laetus esto, et ora Deum, ut semper magis ac magis abhorreas.

PUNCTUM II. — Considera alia Christi verba: *Haec est voluntas eius, qui misit me Patris, ut omne quod dedit mihi, non perdam ex eo* [2]). Quare, cum Christus semper exactissime et perfectissime Patris sui voluntatem impleverit, et velit nunc impletam; cum Dei Patris ope ad Iesum vocatus sis, eique datus, eique votis etiam obligatus: spera in potestate et dilectione Iesu, qui te non velit perditum, nisi tu ipse velis.

PUNCTUM III. — Considera alia Christi verba: *Haec est.. voluntas Paris.., qui misit me, ut omnis, qui credit in eum, habeat vitam aeternam* [3]), scilicet qui credit fide per dilectionem operante. Cum Dei beneficio habeas talem fidem, saltem quod satis est, non agnoscas in te ullum peccatum mortale decalogo contriarum,

[1]) Ioann. VI. 37. [2]) Ibid. 39. [3]) Ibid. 40.

quod solum tollit Dei dilectionem in adultis: spera in Deo et dic ei: «Domine, fiat ista tua «sanctissima voluntas»; et hoc sensu saepe haec verba in corde repete: Domine, *fiat voluntas tua* [1]).

Punctum IV. — Considera, si voluisset Dominus te perdere, et non salvare, non fuisset opus te ad Religionem vocare, sed satis fuisset, relinquere in mala vita, vel in saeculi statu adeo periculoso. Cum ergo te vocarit ad domicilium suorum dilectorum, saltem propter eos qui orant pro te et amant te, non sinet te perire. Nam si propter decem tantum iustos, illas nefandas civitates actu peccantes, tot millia sceleratorum habentes, noluit perdere: quanto magis te unum et solum, propter tot millia Dei dilectorum salvabit, quorum merita et bona etiam tibi prosunt per communionem Sanctorum, quam profiteris in symbolo, et propter peculiarem vocationem religiosam.

His adde verba sancti Augustini mirae consolationis, quibus promittit, te victurum cum illo: «Incredibilius est, quod mortuus est aeternus, quam ut vivat in aeternum mortalis. Iam quod incredibilius est, tenemus: si propter hominem mortuus est Deus, non est victurus homo cum Deo? non est victurus mortalis in

[1]) Matth. VI. 10.

aeternum, propter quem mortuus est, qui vivit in aeternum»[1]).

Meditatio VI.

De modo imitandi Christum Dominum.

PUNCTUM UNICUM. — Considera quibus in rebus debeas Christum imitari, potissimum autem in quatuor: *Primo*, ut quam maxime ad Christi impeccabilitatem accedas, peccando rarissime, levissime et cum minima deliberatione. *Secundo*, omnes actiones faciendo quam perfectissime, hoc est iuxta quadruplicem ideam, cui te conformare debes, scilicet iuxta regulas, iuxta communem et ordinarium modum procedendi Societatis, iuxta Superiorum ordinationem, et iuxta lumen internum quod tibi Deus communicat prioribus ideis conforme. *Tertio*, eniti debes ut in actionibus tuis Dei gloriam quaeras, eamque quam maximam, sicut Christus quaesivit. *Quarto*, ut patiaris ad similitudinem Christi cum his conditionibus: 1^0, etiam sine ulla culpa; 2^0, in omnibus rebus in quibus pati potes, et quoad corpus et quoad animam; 3^0, sine cessatione, si fieri poterit, et continuo; 4^0, gravissima quaeque et maxime iniuriosa, ac molesta praesertim propriae existimationi, proprio iudicio, propriae voluntati, propriis commoditatibus corporis in

[1]) In Psal. CXLVIII.

cibo et potu, in loco habitationis, in ipsa habitatione, in occupationibus ac laboribus, in vestitu, in recreationibus et similibus.

In «colloquio» petes veniam a Christo ob praeteritam vitam tam male tractatam, petes gratiam quae te erigat ad novam vitam, gratias agas quod tibi permittat ut possis te illi reddere quam similimum, et quam proxime ad eius in coelo gloriam accedere. Denique offeres illi aliqua peculiaria proposita seu res, in quibus illum imitari cupis in posterum, concludendo colloquium illo responso quod est in fine contemplationis de regno Christi: «En o Rex supreme», vel simili.

III. PRO OCTIDUANA COLLECTIONE IN FINE TERTII ANNI.

Meditatio I.

«Redde rationem villicationis tuae»[1]).

Punctum I. — Considera, quomodo te gesseris in «tertio anno», tum domi, tum foris in iis locis in quibus fuisti; et quidem in primis circa res ad Dei cultum immediatum spectantes, scilicet: Sacrificia Missae, meditationes quotidianas, horas canonicas, examina conscientiae, confessiones tuas et aliorum. In his autem omnibus accurate inquire: 1^0, an in his rebus ad Deum colendum, placandum, et nobis ac toti Ecclesiae sanctae Dei demerendum ab eo institutis, potius eum offendere et quidem deliberate solitus fueris, quam placare; 2^0, an haec peregeris quoad alia requisita eo modo, quo scivisti esse peragenda. Nimirum an totum tempus praescriptum ad illa illis tribueris. An ea peregeris cum illo affectu et applicatione animi, quo peragere solebas recreationes,

[1]) Luc. XVI. 2.

et permissas, et vetitas, cum tuis sociis. Et iuxta ea quae in te inveneris, elicias affectus: vel gratiarum actionis, si bene ea peregisti, vel doloris, humiliationis, et deprecationis si male.

Punctum II. — Considera causas, quae te induxerunt ad supradicta male transigenda. Et perpende an fuerint magis dignae, quam infinita Dei Maiestas, ut propter illas Dei respectum non habueris, ita male peragendo res ad Dei cultum institutas. Ideo vehementer confundere; pete veniam a Deo, et practice statue, quomodo debeas posthac compensare tuum malum modum agendi et vivendi.

Punctum III. — Considera, quomodo te gesseris in conversatione cum aliis, circa materiam et formam sermonum, item circa affectus internos; et, uti in primo puncto, proportionatos affectus elicias.

Punctum IV. — Considera motiva, et divina, et humana, quae te adigunt, ut si Deo et Superioribus placere volueris, deinceps in his rebus te melius geras.

Meditatio II.

De fine «tertii anni».

Punctum I. — Considera finem «tertii anni», qui est, ut «fiat homo perfectus in vita spiri-

tuali» [1]). Hic perpende, quid sit, esse perfectum in vita spirituali, et an hoc sis assecutus, vide, et pios affectus deprome iuxta ea, quae inveneris, sive perfectionem, sive imperfectionem redolentia.

PUNCTUM II. — Considera finem «tertii anni» exigere plus, quam exigat a nobis finis Societatis omnibus praescriptus in regula 2-da Summarii; hic enim est (quod nos ipsos attinet): «saluti et perfectioni propriarum animarum «cum divina gratia vacare»; hoc est conari ad consequendam salutem et perfectionem propriam. At finis tertii anni requirit plus, id est, id quod status episcopalis, religioso perfectior, ab episcopo exigit, nimirum ut sit perfectus. Vide ergo an in tertio anno hos duos fines attigeris; quod agnosces ex his: 1°, an perfectius nunc, quam in novitiatu tuo te gesseris in occupationibus ad immediatum Dei cultum spectantibus; 2°, an ita te nunc gesseris erga Superiores tuos interne et externe, sicut te gerebas in noviciatu; 3°, an ita accuratus fueris in regularum observatione in tertio anno, sicut fuisti in noviciatu tunc, quando bene in spiritu procedebas; 4°, an conversationes tuae cum domesticis ita fuerint bonae in tertio anno, consideratis omnibus, sicut solebant esse in novitiatu. Et iis quae inveneris in te, con-

[1]) Romana edit. Instit. vol. II. pag. 213.

formes affectus excita in te, vel gratiarum actionis, vel doloris et confusionis.

Punctum III. — Considera alteram partem finis a Societate patribus «tertii anni» praescriptam, scilicet, ut «idoneum Societatis instrumentum ad animas Christo lucrifaciendas evadat» [1]). Ad quod quid necessarium sit, perpende, et vide, an in tertio anno id sis assecutus, vel si antea habuisti requisita ad hoc, an in tertio anno ea auxeris; et vide, quid sit tibi deinceps quoad hoc faciendum.

Punctum IV. — Considera motiva et divina et humana, quae habes ad procurandum ne ex «tertio anno» discedas non acquisito fine illius; et excita te iis vehementer, saltem in hoc fine tertii anni, ea procurandi, per acctuum intensionem, resolutiones efficaces, si forte hactenus non es assecutus hunc tertii anni finem.

Meditatio III.

De initio perfectionis.

Punctum I. — Considera perfectionem, quae est finis «tertii anni», in re idem esse cum sanctitate vitae, qui enim in vita spirituali est perfectus, etiam vere sanctus est, imo sanctus sanctitate eximia. Perfectus enim in ecclesia-

[1]) Romana edit. Instit. vol. II. pag. 213.

stica phrasi apud sanctos Patres ille est, cui nihil deest spectans ad integritatem et plenitudinem evangelicae perfectionis in praeceptis et consiliis evangelicis sitae. Vide ergo quanto conatu et labore opus fuerit, ut ad hoc Dei beneficium pertingeres. An autem adhibueris, et adhuc adhibeas necessarium conatum ad attingendum hunc virtutum apicem, qui ad perfectionem necessarius est, examina te, et improbatis ac deploratis tua hac in parte socordia, et negligentia, vide quid deinceps tibi sit faciendum.

PUNCTUM II. — Considera terminum a quo, perfectionis evangelicae, iuxta sanctorum Patrum doctrinam, esse «fugam omnem peccatorum» iuxta illud: *Declina a malo et fac bonum* [1]); quae «duo, sunt partes iustitiae quasi integrales», ut docet sanctus Thomas [2]). Porro cum perfecta peccatorum fuga requirat quatuor: 1°, ne unquam cum plena deliberatione admittantur; 2°, ut pauca comittantur et raro; 3°, ut gravia et virum perfectum valde dedecentia, uti sunt mendacia, actus gulae manifesti, detractiones, murmurationes, rixae, contemptus aliorum, magna de nobis existimatio, conversationes periculosae et nimis liberae: ut haec et talia nunquam admittantur; 4°, ut commissa cito aboleantur ex anima modis in Ecclesia usitatis,

[1]) Psal. XXXVI. 27. [2]) II[a]II[ae]. q. 79. a. 1.

tum per Sacramentorum bonum usum, tum per actus virtutum peccatis contrarios, praesertim poenitentiae et amoris erga Deum, ac ferventis devotionis. Vide, an et quomodo in his rebus hactenus ostenderis fugam peccatorum perfectam.

Punctum III. — Considera causas internas et externas, ob quas in te non enituit hactenus fuga perfecta peccatorum, quae, esse impedimenta spiritualis profectus (ac proinde etiam perfectionis, quae sine profectu virtutum non acquiritur) docet sanctus Thomas; et perpendas, quam sint hae causae viles res et indignae, ut earum habeatur ratio a viro perfectionis studioso, quippe tam magnum bonum, uti est perfectio et vitae sanctitas, impedientes. Resolve te ergo ad eas causas omnino efficaciter amovendas.

Punctum IV. — Considera motiva non tantum divina, sed etiam humana, quae habes ad tollenda impedimenta perfectionis, considerando omnes hominum etiam mundanorum status, quomodo quilibet sine deliberatione, quasi connaturaliter et efficaciter amolitur a se omnia impedimenta humanae felicitatis, et occupationis: ut hinc discas idem facere circa tam eximiam felicitatem, quae est in vitae perfectione et sanctitate, quae est maxima huius vitae possessio ipsius Dei intrinsece in anima, tanquam in dilectissimo domicilio suo, habitantis.

Meditatio IV.

De requisitis ad perfectionem.

PUNCTUM I. — Considera, praeter fugam peccatorum ad perfectionem evangelicam requiri acquisitionem virtutum, et quidem in gradu alto et heroico. Hinc in novitiis et vitae spiritualis tironibus, ordinarie loquendo, non reperitur perfectio acquisita, quia non pervenerunt adhuc ad heroicos gradus habituum et virtutum. Reflecte te ergo, tum ad virtutes communes omnibus Christianis, uti sunt: fides, spes, charitas, humilitas, patientia; tum ad proprias religiosorum, uti sunt: paupertas, castitas, obedientia, mortificatio pravarum affectionum, refrenatio passionum inordinatarum; an perveneris ad altos in his virtibus gradus; et prout in te inveneris statum tuum, tales affectus elicias: vel gratiarum actionis et laudis Dei, vel doloris et confusionis tuae.

PUNCTUM II. — Considera, ad perfectionem satis non esse, habere acquisitos magnos gradus virtutem, sed opus esse operibus id declarare, ne sint otiosi. Discurre itaque per omnes diei partes, quos in iis exerceas actus heroicarum virtutum. saltem Deo soli notos, et quid sit vel emendandum, vel perficiendum, statue.

Punctum III. — Considera, perfectionem evangelicam esse superiorem et excellentiorem omnibus aliis Dei donis, quae dat hominibus in hac vita et tanquam auctor naturae et tanquam auctor gratiae. Unde sequitur, debere esse in creatura ratione praedita, maius desiderium assequendae perfectionis, quam sit assequendarum aliarum rerum, sive illae sint officia, sive alia solatia humana et occupationes speciosae, ac loca proprio amori iucunda. Ex altera parte, vide an maiore affectu et studio procuraveris assequi perfectionem et eam desideraveris, quam alia humana solatia et felicitates; et proportionatos affectus elicias ac proposita.

Punctum IV. — Considera effectus formales perfectionis, quae ubi est, reddit hominem Deo simillimum, Deo plenum, Deo carissimum, facit ut talis persona sit deliciae Dei, summe iucundum habitaculum Dei, et pretiosissimum templum Divinitatis inhabitantis cum summo suo gustu in tali persona. Haec ponderans, obstupesce, et tuam fortasse et aliorum multorum caecitatem, qui cum possint, non conantur esse perfecti, ut tales in oculis Dei, iudicio Dei evadent. Incusata ergo tua stultitia et tui ipsius neglectu, erige te ad generosas resolutiones, deinceps ea omni conatu pensandi et exercendi, quae te perfectum et adeo felicem reddere queant, et disponant ad bea-

tificam felicitatem, in altissimo gradu consequendam.

Meditatio V.

De abnegatione sui.

PUNCTUM I. — Considera, inter media ad assequendam perfectionem et finem «tertii anni», primo loco a Societate praescriptam esse patribus tertii anni, «plenam et absolutam sui ipsius abnegationem» [1]) seu exercere se in plena et absoluta sui ipsius abnegatione. Examina ergo te, an et quibus in rebus, et quo modo te in hoc exercueris. Et si quid est deflendum vel emendandum, defle et emenda.

PUNCTUM II. — Considera, an perfectius studueris te abnegare in «tertio anno», quam id feceris in noviciatu. et quam soleant esse ferventes novitii, quibus tamen tu teneris esse et melior, et perfectior, et ferventior in vitae religiosae exercitiis, propter maiora, quae habes adminicula ad hoc, et obligationes. Quod si videris te novitiis in hoc esse inferiorem, erubesce coram Deo, et veniam pete, et te emenda.

PUNCTUM III. — Considera causas, ob quas non te applicasti in «tertio anno» abnegationi tui, et agnosce eas etiam reliquo tempore vi-

[1]) Romana edit. Instit. vol. II. pag. 213.

tae, si durarint in te, fore tibi impedimento ad perfectionem. Resolve te ergo ad eas eiiciendas, tanquam intestinum hostem et furem tot thesaurorum, quos possideres, illum si domi tuae non haberes.

Punctum IV. — Considera saecularium famulorum, et militum, et mercatorum, et aliorum innumeras et quotidianas abnegationes in quibus se exercent, tot incommoda tolerando, tantum ut assequantur finem suorum conatuum et laborum, et quidem finem cum hac vita finiendum. Tu vero, credens aeternam felicitatem esse praeparatam a Deo, pro abnegationibus tuis, cur non eundem, quem illi, adhibes conatum? Confundere famule Dei picte, et miles Christi delicate et infidelis, qui non praestas ea pro Deo, et pro tanto bono, quod tibi offertur, quod praestant filii huius saeculi, pro rebus quas praetendunt caducis. Quocirca quia adhuc tempus est messis, resolve te ad compensanda ea, quae omisisti.

Meditatio VI.

De humilitate.

Punctum I. — Considera, a Societate et ab ipso S. P. Ignatio inter sex media particularia ad assequendum finem «tertii anni» requisita, primo loco positum esse, «profectum in humi-

«litate» [1]); ubi inquire, quas ob causas id primo loco sit positum, et hinc pios aliquos decerpe fructus et proposita.

PUNCTUM II. — Considera, *primum humilitatis gradum* poni a beato Laurentio Iustiniano, eximiae sanctitatis et nobilitatis ac doctrinae viro, Patriarcha Veneto, «agnoscere se contemptibilem esse et peccatorum» [2]) peiorem aliis. An autem haec in te sit opinio, et an hac in re his mensibus profeceris, et quantum profeceris, vide.

PUNCTUM III. — Considera, causas et rationes, quae te tibi possunt et debent describere tanquam contemptibilem et peiorem aliis: et ex earum accurata ponderatione, tanquam talem te statue coram perspicacissimis oculis Dei, quos nihil latet in nobis; et saepius iteratis actibus talibus humilitatis, resolve te ad recumbendum in domo Dei in novissimo loco, et ad fovendas tota vita tua tales de te cogitationes, valde Deo acceptas, quia *humilia respicit in coelo et in terra* [3]).

PUNCTUM IV. — Considera, quibus modis et in quibus occasionibus, et nunc, et post absolutum «tertium annum», tota vita tua debeas factis ostendere, talem de te, ut dictum est, opinionem; et manum operi admove.

---

[1]) Const. p. v. c. 2. §. 1. [2]) Lig. v. De hum. c. VII. [3]) Psal. CXII. 6.

Meditatio VII.

De eadem virtute.

Punctum I. — Considera, *secundum humilitatis gradum* poni ab eodem Sancto, «peccata sua «allis, per Confessionis Sacramentum reserere». Quod sanctus Benedictus de humilitate disserens, faciendum ait coram suo Superiore. Hinc agnosce, quam necessarium sit ad profectum in humilitate, saltem in ratione conscientiae Superioribus nostris, nostra graviora aperire peccata, et per hoc in iis Deum ipsum, cuius vices gerunt, honorare. Tu an hac in re profeceris, vide, et proficere stude.

Punctum II. — Considera, *tertium humilitatis gradum* ab eodem Sancto referri: narrare aliis contra se, quod intus latet in corde. Huc spectant publicae in refectorio manifestationes defectuum commissorum, praesertim eorum, qui confusionem adferunt. Tu quomodo hac in re te gesseris, vide, et si non vis tuos aliis propalare defectus, saltem aequo animo feras dum iniqui censores tibi eos affigent, aut alii veros Superiori detegent, iuxta regulam octavam et nonam Summarii.

Punctum IV. — Considera, *quartum humilitatis gradum* esse, «desiderare, ut illud malum «quod quis de se sentit, etiam ab aliis creda«tur». Hic inquire motiva, quae te excitare

possunt ad amandum et quaerendum hunc gradum, praesertim bona opinio Dei de te ob hunc gradum, quae anteponenda est omnibus sinistris de te aliorum iudiciis.

PUNCTUM IV. — Considera Christi Iesu humilitatem, quomodo ille dum in mundo viveret, libenti et hilari animo pertulerit sinistra et iniquissima iudicia, et quidem principum populi Iudaici de se, idque tui causa, et nunc in coelo gloriosus, a maiore mundi parte, sit in opinione mala, quia a pluribus non habetur pro vero Deo, quae dignitas ei magis convenit, quam ulla alia tibi. Exerdesce ergo desiderio exequende regulae undecime Summarii ut pro Christi amore habeare pro stulto et inepto ad omnia, tum in actu primo, tum in actu secundo, dum tuae vel conciones, vel catechismi, vel lectiones in scholis, vel conversationes cum hominibus, vel aliae occupationes a censorum linguis improbabuntur.

Meditatio VIII.

De eodem obiecto.

PUNCTUM I. — Considera, *quintum humilitatis gradum* in eo situm, ut quis «gaudeat de humi-«liatione sui», depressione, contemptu, et quavis persecutione, et abhorreat a rebus laudem, honorem et gloriam comparantibus. Hic per-

pende motiva, ob quae conari debes ut ad hunc gradum pertingas; ea autem esse possunt: 1°, exemplum Christi, Ducis ac Domini tui, in quo hic gradus eminuit; 2°, exempla omnium Sanctorum insignium, praesertim S. P. N. Ignatii, qui talia omnibus mundi honoribus anteponebat; 3°, laudes, honor et gloria aeterna in coelis praeparata iis, qui haec in terra pro Deo contemnunt.

Punctum II. — Considera, quomodo post «tertium annum» practicare debeas hunc gradum, circa officia futura et occupationes, circa gradus in Societate, circa loca habitationis, circa personas cum quibus conversari et ad quas mitti debes. Et resolve te ad heroicas actiones, et circa illas similia dictamina menti imprime.

Punctum III. — Considera, mundi servos, qui si scirent se posse consequi per centum annos, vel per octoginta, summos honores et dignitates mundi, libentissime per totidem annos et cum gaudio tolerarent omnes persecutiones et gauderent de illis, et fugerent contrarios favores. Cum ergo multo maiores honores sint praeparati in coelo pro iis, qui hic gaudent de vilipensionibus omnimodis sui, vide quam sit indignum superari in hoc a filiis huius saeculi filios lucis.

Punctum IV. — Considera, statum Beatorum in coelo, quem sunt assecuti per hunc humilitatis gradum, quantopere gaudeant se per

eum ambulasse ac pervenisse ad gloriam nunquam interituram; et avulso tuo affectu a temporalibus honoribus et favoribus, Sanctorum affectui et dictaminibus te conforma, et resolve te ad totalem contemptum omnium rerum favorabilium huius vitae.

Meditatio IX.

De amore sensuali.

PUNCTUM I. — Considera, secundum medium a S. Patre propositum patribus tertii anni esse «abnegationem universi amoris sen«sualis» [1], qui nihil est aliud, quam inordinatus amor rerum, ad oblectationem inordinatam nostrorum quinque sensuum spectantium. Cum ergo et Scriptura et sancti Patres, ac omnes vitae spiritualis magistri doceant, per sensus nostros, hostem nostrum diabolum sua contra nos immittere tela, et sciamus eum esse nobis potentiorem et sapientiorem, necessario sequitur. valde invigilandum esse nostris sensibus, et custodiendum domesticum, qui intra nos est, hostem, scilicet amorem istum sensualem, ne per haec sensuum foramina inducat extrinsecos hostes nostros, et telis eius nobis perniciosis aditum praebeat. Quomodo autem cu-

[1]) Constit. p. v. c. 2. §. 1.

stodiendus sit, vide, et quod faciendum est, facito.

Punctum II. — Considera, quae oblectamenta sensui visus tui antea nocuerint, et quae etiam nunc arrideant; et defletis, si qui acciderunt antea, lapsibus, vide quomodo inposterum similes cavere debeas.

Punctum III. — Considera oblectamenta gustus tui, quomodo amor sensualis in eis se olim oblectaverit, et an nunc etiam se in eis inordinate occupet; et deploratis excessibus, statue, quomodo te gerere debeas inposterum.

Punctum IV. — Considera reliquorum sensuum oblectamenta, an et quibus modis iis usus sit inordinatus amor ad nocendum animae tuae; et agnitis inde damnis, vide quomodo deinceps ea a corpore et anima tua arcere debeas, et totaliter hunc sensualem amorem abnegere, ut vere ex vita tua exemplari, et Deus, et Sancti, et homines cum quibus versabere, te agnoscant esse mortificatum in rebus ad sensualitatem sensuum spectantibus.

Meditatio X.

De externis poenitentiis.

Punctum I. — Considera, ad abnegationem universi amoris sensualis spectare etiam usum afflictionum corporis, quas adferunt cilicia,

disciplinae, et aliae mortificationes corporales; ab his enim abhorret amor sensualis. Quocirca, cum S. P. N. Ignatius velit, ut patres «tertii anni» abnegent universum amorem sensualem: agnosce, etiam hac in re debere te esse addictum et affectu interno et operibus externis occultis, poenitentiis corporalibus. Quibus si non es addictus, erubesce, quia elegisti statum religiosum, qui est status poenitentiae, et non ostendis Deo effectus huius status, et poenitentiae.

PUNCTUM II. — Considera, omnes Sanctos et Sanctas, etiam summa vitae innocentia lucentes, etiam gratiae baptismalis inviolata conservatione eminentes, afflixisse valde carnem suam, uti patet ex vitis eorum impressis, praesertim S. P. N. Ignatii, qui etiam dum Generalis esset, in depressa annis et laboribus ac curis et afflictionibus aetate, adeo se caedebat flagellis, et quidem in tergo, ut illud cruentaret. Vidi ego eius nigrum thoracem e tela factum, qui adhuc Romae conservatur, quem induebat post disciplinas, ut in eo remanerent fluenta sangvinis, ne in indusio albo, ullum extaret signum tergi disciplinis cruentati, et ne a vestiario colligente indusia pro lotione id agnosceretur. Eius secutus exemplum beatus Borgias, ita disciplinis cruentabat tergum, ut putresceret. Qui tamen vivens in saeculo, in deliciis et opibus, ducem habens patrem, con-

servavit suam illibatam virginitatem, usque ad statum matrimonii. Si ergo isti heroës in sanctitate, adeo carnem suam afflixerunt extrinsecis poenitentiis, vide, quid tibi sit in hac in re faciendum, qui illis nequaquam es comparandus.

Punctum III. — Considera primum motivum, quod habes ad affligendam dure tuam carnem. Hoc autem est, peccatorum tuorum multitudo, quae meretur vel inferni, vel purgatorii poenas. Cum ergo non scias infallibili scientia, tibi esse remissa peccata, saltem quoad poenas purgatorii luendas, resolve te, ad affligendam tuam carnem eo modo, discrete tamen, et cum licentia tuorum Superiorum, ut hic, in hac vita, exsolvas, quod deberes in vita altera pati pro peccatis tuis, etiamsi essent tibi remissa quoad culpam.

Punctum IV. — Considera, secundum motivum, adhibendarum poenitentiarum corporalium, esse impetrationem gratiarum, quibus indigemus et pro nobis et pro aliis, tum vivis, tum mortuis, quae sunt innumerae. Cum ergo, uti sanctus Ignatius scripsit [1]), poenitentiae conducant valde ad impetranda ea quae petimus a Deo, ideo sis liberalis in affligenda carne tua, discrete et cum licentia, ut impetres quam plurima pro te et pro aliis.

[1]) X-ma Additio ad Exercitia.

Meditatio XI.

De mortificatione in rebus utilibus et commodis.

PUNCTUM I. — Considera, ad abnegationem amoris sensualis spectare etiam abnegationem rerum extrinsecarum, corpori nostro adiacentium, uti sunt: indusia, thoraces et vestimenta omnia, et his similia. Nam amor sensualis etiam in his rebus est, et procurat tria: 1°, ut sint quam optima, hoc est vestes ex panno pretiosiore, breviaria quae sunt cariora; 2°, ut sint quam plurima et superflua: plures libri quam sit opus, etiam sacri ut breviaria, aliud pro itinere, aliud pro cubiculo, cinguli duplicati; et sic de vestimentis et aliis rebus; 3°, ut necessaria quibus uti solemus, sint curiose et pulchre ad speciem facta, uti sunt: thecae pro dentiscalpiis, cultelli ex matreperla, ut vocant, facti, crepidae non ex ordinario corio, sed ex korduban factae, et sic de aliis inquire. Quae, an deceant eum, qui debet esse vir in vita spirituali perfectus, considera, sed eo modo, quo considerares haec tria puncta, si nunc deberes ire ad iudicium Dei; et quod tibi Deus inspiraverit, hoc deinceps exequi stude.

PUNCTUM II. — Considera, ad abnegationem amoris sensualis spectare recreationes colloquiorum ordinariorum, quae ex praescripto re-

gulae debent quotidie adhiberi. In his autem recreationibus amor sensualis nos praecipue inducit ad quatuor: 1°, ut simus partiales circa personas; hoc est, ut declinemus eas quae loquuntur de rebus spiritualibus, et quae videntur non esse nobis addictae, et quae habentur pro magis observantibus regulas. Et e contrario, ut eligamus pro nostra conversatione personas de rebus spiritualibus non loquentes, in conversatione liberas et dissolutas, taxantes aliorum mores, regulas passim violantes; 2°, amor sensualis in recreationibus adducit nos ad colloquia clamosa, praesertim disputando, quod et a sanctis et ab ethnicis philosophis moralibus valde improbatur; 3°, idem amor sensualis inducit nos ad nimiam in recreationibus laetitiam, quae se prodit per risum non necessarium, sed maxime per cachinnos, et a sanctis et ab ethnicis damnatos; 4°, idem amor inducit nos, ut libentiur loquamur de novis saeculi, de aliorum moribus, eos censurando, de scholae lectionibus, quam de Deo, qui debet esse iudex horum sermonum, et verba etiam otiosa nulli noxia trutinabit. Ideo resolve te ad abnegandum in his rebus amorem sensualem, et annota aliqua particularia, quae in posterum vitare debeas.

Punctum III. — Considera, amorem sensualem inducere nos ad extraordinarias recreationes, tum quoad deambulationes extra domici-

lium, tum quoad alia oblectamenta gulae, per cibum et potum extra tempora consueta. Et vide an in te hoc vigeat, et emendanda emenda.

PUNCTUM IV. — Considera, amorem sensualem inducere nos ad otium, et ut fugiamus ministeria quaedam, uti sunt: visitatio pauperum in nosocomio, in carceribus, et conductio damnatorum ad supplicia, et confessio rusticorum pauperum. Et revocatis in memoriam Christi sententiis: *Pauperes evangelizantur* [1]), et: *In carcere eram, et* visitastis *me* [2]), resolve te ad talis amoris abnegationem.

Meditatio XII.

De variis rebus in quibus debemus nos abnegare.

PUNCTUM I. — Considera, ad abnegationem amoris sensualis pertinere, ut nimia de nostra sanitate sollicitudo abnegetur; quod fit: 1°, si nihil sine Superiorum expressa licentia quaeramus et adhibeamus ad nostri curationem; 2°, si in cibis non habeamus delectum ortum ex sensualitate, non vero ex necessitate; 3°, si non eligamus domicilia magis nobis commoda, sub praetextu mali aëris declinandi, etc.; 4°, si cubicula non quaeramus magis amoena et magis amori proprio accepta; 5°, si non

[1]) Matth. XI. 5. [2]) Ibid. XXV. 36.

utamur medicinis aut pretiosis aut vere non necessariis. Quomodo autem te in his rebus geras, examina te accurate, et si quid sit emendandum, emenda eo modo quo emendares, si moriturus esses.

Punctum II. — Considera, ad abnegationem amoris sensuali spectare, ut abneges tuae cellae seu cubiculi fastidium, quod se prodit per frequentem egressum ex cubiculo ad res vere non necessarias prudenti iudicio et Dei et tuo, sed ad garritiones vel ad curiositates, vel ad deambulationes non necessarias, et his similia. Qua in re considera quam multa lucra pro vita aeterna aeternum duratura congregares, manendo in cella tua, quae perdis, vel potius non assequeris exeundo toties sine necessitate e cella. Quocirca his ponderatis, resolve te ad amorem cellae et solitudinis domesticae, ut assequaris illa merita, quae colliguntur per Dei gratiam ab amatoribus cellae.

Punctum III. — Considera, abnegationem amoris sensualis hoc quoque postulare, ut abneges nimiam cum personis tuae complexioni arridentibus conversationem, a tuo amore expetitam non propter rationes aeternas, sed propter temporales, uti sunt: forma corporis, divitiae, pulcher vestitus, officii quod gerunt eminentia, communio eiusdem patriae et linguae, propensio earum erga te, tui laudatione et veneratione demonstrata, et his similia. Qua

in re pondera, quod utilius esset pro tua beatifica aeternitate consequenda, relictis his, conversari cum pauperibus et aliis non speciosis, pro iis iuvandis, et Deo quoque inde maior consolatio, gustus et gloria proveniret. Ideo resolve te ad quaerandam in conversatione maiorem Dei gloriam, et tuum spiritualem lucrum potius, quam ad quaerenda humana solatiola.

PUNCTUM IV. — Considera, ad perfectam abnegationem amoris sensualis necessarium esse ut abneges malam temporis transactionem. Tempus enim huius vitae est summum Dei beneficium, quia datum est nobis «ad agen-«dam poenitentiam, ad obtinendam veniam, «ad acquirendam gratiam, ad promerendam glo-«riam» [1]). An autem circa haec illud expendas, vide, et resolve te ad deserenda omnia illa, quae ex instinctu amoris proprii antea faciebas, non utilia ad agendam poenitentiam, ad obtinendam veniam, ad acquirendam gratiam, ad promerendam gloriam.

Meditatio XIII.

De abnegatione propriae voluntatis in genere.

PUNCTUM I. — Considera, tertium medium pro assequendo «tertii anni» fine assignatum esse

---

[1]) *S. Bern.* serm. De triplici custod.

a S. P. N. Ignatio: «abnegationem... propriae voluntatis» [1]); ubi considera necessitatem huius abnegationis, ortam partim ex voto obedientiae, per quod voluntatem nostram tradimus Superioribus, partim ex ipso statu religioso, quem ideo eligimus, ut in eo non nostram, sed Superiorum faciamus voluntatem.

Punctum II. — Considera damna et pericula in quae nos adducit, et te forte alias adduxit, propria voluntas, et tanto magis procura eius abnegationem.

Punctum III. — Considera utilitates huius abnegationis, tum quoad statum vitae praesentis, tum quoad praemia futurae; et tanto magis accendere ad quaerandam hanc abnegationem.

Punctum IV. — Considera quam sit praeclarum Sacrificium, et quam sit Deo acceptum, haec abnegatio, et quanta bona etiam in hac vita, gratiarum coelestium sperare possit anima, quae se ex Dei amore privavit propria voluntate, et eam Domino consecravit, maius quiddam, quam fuerit in Abrahamo oblatio filii Isaac. Ideo gratulare tibi, quod Deus tibi potestatem fecerit, ut hac praeclara oblatione, possis valde mereri de Deo, et eum quodammodo obligare, ut tibi pro hoc dono copiosissime benedicat.

---

[1]) Constit. p. v. c. II. §. 1.

Meditatio XIV.

De eadem abnegatione in specie.

PUNCTUM I. — Considera, an nunc minus quam in noviciatu sequaris propriam voluntatem tuam, tum in desideriis rerum aliquarum, tum in procuratione earum. Quod si inveneris, te nunc magis uti voluntate tua, quam in tyrocinio tuo: erubesce coram Deo, quod cum deberes esse etiam in hoc perfectior, tum ob plures annos in Religione transactos, tum ob Sacerdotii dignitatem, tum ob maiorem mediorum multitudinem per tot annos adhibitorum: factus es tamen deterior.

PUNCTUM II. — Considera vias, per quas devenisti ad hunc maiorem tuae voluntatis amorem et usum; ac ponderata et agnita earum perversitate, eas deinceps declinare stude.

PUNCTUM III. — Considera obiecta tuae propriae voluntatis, circa quae illa se exerit, et perpende in iis pericula et damna, quae tibi possunt accedere; renuncia iis pro Domino Deo tuo, et firmiter statue, ne quidquam deinceps ex te eligas.

PUNCTUM IV. — Considera Christi exempla, quomodo is pro te suam abnegarit voluntatem, non eligendo ea quae multis nominibus ei debebantur, et innocentissimae eius personae conveniebant, sed prorsus contraria et sensibus

iniucunda; et exemplis eius excita te ad rependendam ei hanc gratiam, plena tuae voluntatis abnegatione, et eius faciendae, donatione.

Meditatio XV.

De eadem re ex verbis Christi et Sanctorum.

Punctum I. — Considera illa sancti Antonii verba: «Maligni Spiritus cognoscunt, se inter «filios diaboli esse reputatos, propterea quod «conantur unicuique nostrum ingerere propriam «voluntatem» [1]). Unde agnosces quantopere sit exosa Deo voluntas propria, et e contrario, quam sit accepta abnegatio propriae voluntatis.

Punctum II. — Considera verba Christi Domini dicta sanctae Birgittae: «Via quae ducit «ad amorem meum, est abiectio perfecta et «abnegatio propriae voluntatis...; quando homo, «considerata passione et charitate mea, non «curat facere voluntatem suam, et resistit totis «viribus, et conatur semper ad maiora». Et infra, improbans servos propriae voluntatis ait: «Hi ad tempus stant in servitio meo...; nec re«linquendo voluntatem propriam, sed suam fa«ciendo cum mea voluntate, periculose positi

---

[1]) Epist. II. ad Arsenoitas.

«sunt, quia duobus dominis servire volunt, «licet neutri bene servire possint» [1]).

PUNCTUM III. — Considera verba sancti Fulgentii episcopi et abbatis, qui illos veros monachos esse dicebat, «qui mortificatis volun-«tatibus suis, parati essent, nihil velle vel nolle, «sed abbatis tantummodo consilia vel praece-«pta servare» [2]). Ideo resolve te hic, ita deinceps in Societate vivere, ut nihil prorsus eligas vel detrectes, circa ea quae Superiores disponunt ad te spectantia, sed Christi exempio, in omni tali occasione, factis potius quam verbis dic: *Non mea voluntas sed tua fiat* [3]); ita facilius salvaberis, et res tibi succedent melius.

PUNCTUM IV. — Considera verba abbatis Abraham ponderantis illa Christi verba: *Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud* [4]). «Qui «sunt, inquit, hi violenti? Nempe illi, qui non «aliis, sed voluntatibus suis, praeclaram inferunt «violentiam; qui direptione laudabili omni se «praesentium rerum voluptate fraudant, et voce «Dominica egregii direptores pronunciantur, et «per eiuscemodi rapinam, regnum coelorum «violenter invadunt. Isti sunt profecto laudabi-«les violenti, qui vim faciunt perditioni suae. «Perditio nostra est oblectatio vitae praesentis,

[1]) Rev. lib. I. Cap. 15. [2]) In vita apud *Surium* 1. Ianuar. [3]) Luc. XXII. 42. [4]) Matth. XI. 12.

«et, ut expressius dicam, executio voluntatum «desideriorumque nostrorum» [1]). Quocirca reflecte te ad tua desideria sive antiqua, sive nova, et vide, quomodo pro Domino Deo tuo, eorum abnegatione, in posterum violenter debeas rapere coelum.

Meditatio XVI.

De eodem obiecto.

Punctum I. — Considera excellentiam eorum, qui propriam voluntatem pro Deo abnegarunt, expressam his Christi Domini verbis, dictis cuidam servae suae, quae refert sancta Catharina Senensis in suis dialogis: «Si inquit pe«teres a me, qui sunt isti» (qui suam abnega«runt voluntatem), «tibi responderem: ipsi sunt «alter ego, quia sponte perdiderunt et abnega«runt eorum propriam voluntatam, facti meae «voluntati conformes et uniti, et in omnibus «ea induti» [2]). Quid ergo sparare non potest a Deo is, qui Dei testimonio appellatur «alter ego»? Quocirca vide quam firmiter semper debeas permanere fixus in perpetua tuae voluntatis abnegatione.

Punctum II. — Considera, inter damna propriae voluntatis esse etiam hoc, quod sanctus

[1]) Apud *Cassianum* Coll. xxiv. c. 24. [2]) Cap. i.

Pachomius scriptum reliquit in Monitis: «Qui «suam perficit voluntatem, a divina cognitione «fraudabitur, nec poterit perficiendo propriam «voluntatem, per viam Sanctorum incedere, et «in novissimo interitum et planctum inveniet»[1]). Hoc verum esse, omnes illi re ipsa demonstrant, qui non perseverant in Societate, quia per executionem propriae voluntatis, contra voluntatem Superiorum, ad hanc infelicitatem devenerunt. Ne ergo et tu eo devenias, assuesce non sequi tuam voluntatem. Nec putes, te esse minus iis securiorem, cum habeas exempla, etiam magnorum professorum, et superioratu aliquando obito clarorum. qui turpiter defecissent.

PUNCTUM III. — Considera te esse Dei servum: et cum Dei servus sis, qui maior est omnibus monarchis mundi, debes perfectius Deo servire, quam serviant famuli regum regibus suis vel aliis dominis. Cum ergo nullus famulus est tam audax et impudens, qui eligat obsequia sua, quid facere vel non facere debeat, qui praescribat domino, ut hoc non illud a se fieri iubeat: vide quanto magis te deceat nil eligere, nil detrectare, sed omnia illa exequi, quae tibi Deus per Superiores, suae voluntatis interpretes, iniungit.

PUNCTUM IV. — Considera illa psalmi verba: *Ut iumentum factus sum apud te*[2]); et ex

---

[1]) Patr. lat. *Migne*, t. XXXIII. p. 90 D. [2]) Ps. LXXII. 23.

amore Dei, offer te Domino Deo tuo, ut velis tractari deinceps instar iumenti, non eligendo stabulum, non pabulum, non onera vel personas portandas, sed sine resistentia id eo modo faciendo, quo Dominus vel stabularius disponit. Et ne dubites, si pro Deo tuo sines te tanquam iumentum illius tractari, ingredieris sub sessore Christo et tu coelestem Hierusalem, sicut et ipse ingressus est, non suam, etsi sanctam, sed Patris sui faciendo voluntatem.

Meditatio XVII.

De abnegatione iudicii.

Punctum I. — Considera, quartum medium pro assequendo fine «tertii anni» a S. P. N. Ignatio et a Societate praescriptum esse: Abnegationem Iudicii proprii[1]), quae in eo sita est, ut quivis nostrum in ferendo iudicio de rebus, sit conformis iudicio suorum Superiorum, circa dispositionem sui et aliarum rerum, ne in ulla re discrepet a iudicio illorum. Tu an hactenus talis fueris vide, et talis esse in posterum stude.

Punctum II. — Considera, *primum* motivum subdendi totaliter iudicium tuum Superioris iudicio, esse Superioris munus, quod ha-

[1]) Constit. p. v. c. II. §. 1.

bet tanquam vicarius Dei, a Deo ipso sui loco tibi datus, ut te regat, et de te disponat pro libitu suo, et ut tibi sit interpres divinae voluntatis, tantae auctoritatis et fidei, ut teneamur ei credere in rebus, quae non sunt manifestum peccatum, et idem iudicare quod iudicat ille. Quocirca sicut Dei ipsius iudicio non subdere nostrum scelus esset: ita suo modo scelus est vicario Dei contradicere mente in rebus quae non sunt manifesta peccata.

PUNCTUM III. — Considera, *secundum* motivum conformandi iudicium tuum Superioris iudicio esse frequentes deceptiones, quas in tui ipsius iudicio non semel advertisti, non tantum in rebus ad te sed etiam ad alios spectantibus. Quocirca securius est eorum acquiescere iudicio, per quos nos gubernat Deus, quam nostro.

PUNCTUM IV. — Considera, caeteris paribus, divinam providentiam, ordinate gubernantem omnia, ex benignitate sua teneri magis dirigere Superiores tuos, quippe vicarios suos, quam te. Quocirca etiam ex hoc capite aequum est, Superiorum potius iudicium sequi quam tuum, praesertim in causa tua, quam amor proprius multis velat falsis involucris, ne appareat quod aequum est.

Meditatio XVIII.

De maiori cognitione Dei.

Punctum I. — Considera, quintum medium, pro «tertii anni» fine consequendo, esse praescriptum, «profectum in maiori Dei cognitione» [1]). Hoc medium est fere omnium maxime necessarium. Qui enim Deum perfecte cognosceret, facili negotio abnegaret omnia abneganda, fugeret omnia peccata et defectus, faceret omnia perfectissime, quae pro Deo sunt facienda. Ideo danda est opera, ut Deum intime agnoscamus.

Punctum II. — Considera, inter res cognoscendas de Deo et in Deo, esse cognoscendam *inprimis* infinitam Maiestatem eius, respectu cuius omnes imperatorum et regum maiestates, sunt quid minus quam unum punctum mathematicum respectu molis infinitae. Ideo sancti Angeli in coelo non audent aspicere faciem Dei, sed prae reverentia alis eam velantes describuntur ab Isaia. Ideo Christus etsi Divinitate par Deo Patri, in humanitate tamen orabat, genibus flexis prostratus in terram, adorans summam illam Potentiam, Sapientiam et Bonitatem. Unde sequitur, debere te maiorem reverentiam adhibere dum Deum oras, sive in meditatione, sive in horis canonicis,

[1]) Constit. p. v. c. 2. §. 1.

sive in Missa, sive in benedictione mensae, sive alias, quam adhibeant famuli stantes in conspectu papae vel imperatoris. Examina ergo te, an ita te geras, et aperi oculos ad cognoscendam Dei maiestatem, et eius cognitionem vivam factis repraesenta.

PUNCTUM III. — Considera *secundo loco*, esse procurandam cognitionem vivam Divinae immensitatis, omnibus rebus intime praesentis, et omnia videntis perspicacissime. Unde sequi debet totalis fuga omnium peccatorum et rerum, quas non auderes cogitare, et facere, et loqui, praesente saltem viro aliquo magnae auctoritatis et sancto, sciente occulta cordium. Vide ergo, quomodo te deinceps debeas gerere, credens Deum esse tibi semper ad latus, semper ante oculos, semper in corde tuo et intra te.

PUNCTUM IV. — Considera *tertio loco*, cognoscendum esse intime Dei concursum ad omnia opera tua, sine quo ne digitum quidem posses movere. Sicut ergo puerulus discens scribere, non auderet paedagogo manum eius moventi, scribere ullum verbum iniuriosum: ita tu proportione quadam habens Dei manum ad omnia opera tua concurrentem pro libitu tuo, ita debes omnia et cogitare, et loqui, et facere, ne quid a te proveniat iniuriosum Deo, hoc est, cum eius offensa coniunctum. Vide ergo quomodo deinceps operari debeas, et Dei concursu non abuti.

Meditatio XIX.

De eadem materia.

Punctum I. — Considera *quarto loco*, procurandam esse cognitionem profundam divinae puritatis, quae nullam in se maculam aut naturalem, aut moralem habet, et ne habere quidem potest, nec potest ullum speculum ita esse purum ac nitidum, nullus adamas ita pellucidus, qui millesimum gradum repraesentet divinae puritatis. Cum ergo Deus adeo purus sit intra nos per praesentiam ut auctor naturae immensus, et in iustis per gratiam ut amicus: cogita quam mundum esse debet corpus tuum cum suis membris ac sensibus, et anima cum suis potentiis, habens intra se vere, et realiter, et substantialiter, et intime existentem puritatem infinitam, manentem in te et intra te, tanquam in tabernaculo quodam. Circumspice ergo omnes angulos corporis et animae tuae, et si quae sunt immunda et foeda, erubesce in praesentia tanti hospitis, eiice et ablue quamprimum, et vide quam munda debeas omnia deinceps conservare in te.

Punctum II. — Considera *quinto loco*, actus divinae voluntatis, quos in te Deus manens habet erga te et res tuas, nimirum: quid optet a te, quid vellet videre et habere in te, tum pro solatio suae perpetuae in te mansionis, tum pro bono tuo; non vult enim te patrem-

familias, eum hospitio recipientem, vivere pauperem. Et quod conscientia tibi dictaverit, id acquirere quam primum conare, tum pro solatio tanti hospitis, tum pro bono tuo.

PUNCTUM III. — Considera *sexto loco*, acquirendam esse maiorem cognitionem divitiarum internarum Dei, quae infinitis partibus superant omnes divitias creatas et omnia bona quaecunque possumus optare et sperare et percipere ab ulla creatura. Unde sequitur, in omnibus tuis desideriis, conatibus, studiis, operibus, sermonibus, te debere solum Deum spectare, et propter illum omnia facere, sine respectu ad ullos humanos favores, laudes et applausus, praesertim cum superbia et vanitate aliqua coniuctos. Nam omnia meliora a Deo expectare debes, quam ab ulla creatura, si propter solum Deum omnia facias. Reflecte ergo te ad tuos conatus, et si quid sit pravum in intentionibus operum tuorum, reseca et ea dirige recto intinere pure propter Deum, ad solum Deum.

PUNCTUM IV. — Considera *septimo loco*, comparandam tibi esse maiorem cognitionem Divinae sanctitatis, quae est infinitus fons, ex quo emanarunt et emanant omnia fluenta gratiarum et virtutum, per quae sanctificati sunt tot Sancti, cum Beatissima Virgine Maria. Cum ergo sis imago Dei, et ut Sancti docent, per solas virtutes similis fias tuo Prototypo, vide quam magnam habere debeas plenitudinem

virtutum, ut ei similis evadas. Considera ergo quid tibi desit, quomodo quae desunt acquirere debeas; et cum possis eius gratiae benefitio esse ei simillimus, noli esse degener filius, et dissimilis Patri tuo.

Meditatio XX.

De eadem re ulterius.

Punctum I. — Considera *octavo loco*, crescendum esse in cognitione Divinae beatitudinis obiectivae, quam clare intuendo Sancti in coelo, eius visione beatificantur, et replentur summo bono iuxta mensuram meritorum cum quibus excesserunt per mortem ex hac vita mortali. Cum autem beatitudo illa sit tam magna in Deo, et tam magnum bonum eius visio et fruitio quae est in Sanctis coelestibus, et comparetur quovis opere supernaturali hominis iusti: vide quam avarus esse debeas, in congregandis quotidie, si fieri posset, innumeris gradibus meritorum, per innumera opera supernaturalia quotidie frequentanda. Resolve te itaque ad insatiabilem esuriem et sitim perpetuorum et innumerabilium meritorum.

Punctum II. — Considera *nono loco*, debere te proficere in maiori cognitione Divinae patientiae, quae facit, ut et tua et aliena peccata, per tot saecula, tam multa et magna vi-

dens, dissimulet, taceat, non puniat, quin potius tot peccatores deinde convertat, et repleat bonis admirandis, naturae, et gratiae, et gloriae. Hinc exardesce amore tantae patientiae, et resolve te ad toleranda eius exemplo omnia adversa in hac vita, dissimulando, tacendo, et auctores causarum tuarum afflictionum amore ac beneficiis prosequendo.

PUNCTUM III. — Considera *decimo loco*, debere te crescere in maiore cognitione veracitatis Dei, qui in suis promissis et minis est infallibilis. Cum ergo minatus sit iudicium de omni verbo otioso, omnino abstinendum est a locutionibus inutilibus et otiosis; et cum promiserit exaudire orantem se strenue et debitis modis, acquire spem maiorem obtinendarum ab eo rerum illarum, quas petis. Et ita pete, ne petendo male potius irrites eum et provoces ad infligendas poenas, quam moveas ad largienda beneficia.

PUNCTUM IV. — Considera *denique* Divinam providentiam prout est praedestinans electos ad gloriam aeternam, hoc est, ex voluntate efficaci salvandi electos, ordinans certa media, per quorum usum praevidet eos salvos fore; disce hinc valde caute ambulare, et non perturbare eum ordinem, quem circa media pro te destinata elegit Divina providentia, te per Superiores tuos dirigens, et ordinans ad consequendam vitam aeternam. Cum ergo non

scias, quae media illa sint, per quae Deus te praevidet salvum fore, et ex altera parte certo scias, Superiores tuos esse tibi datos tanquam interpretes Divinae voluntatis, et habeas assecurationem ipsius Salvatoris et Redemptoris nostri qui dixit: *Qui vos audit me audit,...* [1]): vide ne unquam trahas Superiores ad voluntatem tuam, ne unquam recuses ulla loca, vel officia, vel gradus, vel personas a Superioribus pro te destinatas, quia fieri potest, ut ea sint media per quae Deus praevidit et non per alia te salvum fore, ne culpa tua, media haec declinando, excidas a via salutis.

Meditatio XXI.

De profectu in amore Dei.

Punctum I. — Considera, sextum medium pro fine «tertii anni» assequendo esse datum a sancto Ignatio et a Societate profectum in maiori Dei amore [2]). Quo in loco pie inquire cur sanctus Pater profectum in maiori Dei amore ponit tanquam medium ad perfectionem acquirendam, quae est tertii anni finis, cum principaliter in ipso Dei amore sita sit perfectio, ut theologi docent. Causa videtur esse, quia perfectio praeter amorem Dei, re-

[1]) Luc. x. 16. [2]) Constit. p. v. c. 2. §. 1.

quirit etiam omnes alias virtutes, sed hae comitantur amorem, quem sanctus Gregorius appellat «matrem virtutum». Quocirca si vis cognoscere, an profeceris in amore Dei, vide an profeceris in aliis virtutibus, praesertim in humilitate, quae est primum fundamentum omnium virtutum post fidem, et in patientia, et in devotione.

PUNCTUM II. — Considera, amorem erga Deum, iudicio S. P. N. Ignatii, consistere «in mutua rerum omnium communicatione» [1]). Vide ergo, an tu omnia tua magis Deo communicaris hic manendo, quam extra «tertium annum»; praesertim omnes temporis partes melius quam antea in rebus Deo acceptis expendendo, sermones tuos in recreatione, delineationes tuas circa te et tuum statum futurum in occupationibus, memoriam iniuriarum seu potius offensarum praeteritarum, amorem commoditatum, desiderium graduum et officiorum speciosorum, conatum ad proficiendum in virtutibus, repugnatias et aversiones quas habuisti ante tertium annum vel a loco aliquo, vel a personis vel ab occupationibus aliquibus. Et si quid emendandum sit et nunc Deo donandum, resolve te ad faciendam donationem rerum tuarum omnium, saltem nunc in

[1]) Contempl. ad amor. spirit. (Exerc. spirit.)

hoc fine tertii anni, duraturam et non revocandam a te unquam postea.

Punctum III. — Considera te debere in donatione rerum tuarum imitari modum, quo se tibi ex amore tui donavit Deus; qui, ut ait Apostolus, *cum* Christo *omnia nobis donavit* [1]). Nam donavit suam Divinitatem per incarnationem. Donavit humanitatem assumptam, iterum novo modo dando se per modum cibi in Eucharistia; donavit iterum humanitatem, tradendo eam post tot tormenta et miserias trucidandam in cruce per crucifixionem corporis innocentissimi; donavit iterum Divinitatem, expectando te cum ea in coelo, futurum obiectum aeternum tuae gloriae et beatificae visionis; donavit iterum suam humanitatem Divinitati coniunctam et gloriosam, ut suo tempore sit perpetuum obiectum gloriae tui corporis post universalem resurrectionem. Tu vice versa, examina te, an tam plene et tam efficaciter donaris Deo substantiam animae et corporis tui, et vide quid tibi sit faciendum, ut ostendas factis te hic profecisse in maiore Dei amore.

Punctum IV. — Considera, praeter substantiam Divinitatis et humanitatis, esse etiam alias res, tibi a Deo et Christo in quantum homine donatas, sunt autem hae: 1°, perpetua et nunquam cessans, et quidem ab aeterno durans

[1]) Rom. viii. 32.

Dei de te actualis cogitatio; 2°, perpetuus amor et aeternus Dei erga te, qui est causa quod te a se creatum conservet in esse tuo, et tibi perpetuo varia beneficia praestet: naturae semper, gratiae etiam saepe; 3°, gubernatio tui et naturalis et supernaturalis perpetua, tum extrinseca, per causas secundas varias dirigens te ad finem supernaturalem, praeservans et liberans te a multis malis, tum intrinsece excitans te auxiliis gratiae ad multa bona, et avertendo a multis malis.

Tu vide, an Deo sic te etiam per suas res et actiones immanentes amanti, corresponderis nunc magis in «tertio anno», ut agnoscas an Amantem tui redamando, magis profeceris in maiore eius amore.

Meditatio XXII.

De donis Dei nobis exhibitis.

PUNCTUM I. — Considera, Deum non contentum donatione suae substantiae tibi facta, et suarum actionum internarum et externarum, adhuc alias res ad assumptam et hypostatice sibi unitam humanitatem necessario spectantes, imo plenissimo iure debitas divinae suae personae incarnatae, tibi donasse, propter te privando se illis, idque, in beneficium tuum et exemplum. *Primo* enim privavit se impassibili-

tate corporis sui, idque miraculose, nam naturaliter ei illa debebatur, et ratione unionis hypostaticae et ratione visionis clarae Dei, quam anima Christi habuit in suo corpore ab instanti suae productionis. Ita Deus per miraculum fecit corpus suum passibile, ut pro te per triginta quatuor annos tam multa pateretur. Tu vide, an ita corpus tuum Deo donaveris; vide, an in tertio anno plura pro eo sis passus, et postea pati velis semper, in vestitu, victu, cubatione, laboribus, iniuriis aëris, poenitentiis corporalibus, et aliis, quae Christus est passus. Et hinc agnosces, an profeceris in maiori Dei amore, et qua ratione deinde post tertium annum debeas factis declarare hunc maiorem Dei amorem.

Punctum II. — Considera, *secundam* rem, qua se Christus in carne pro te privavit et tibi donavit, esse mansionem extra coelestem regiam in hac valle miseriarum per tringita quatuor annos. Nam corpori eius debebatur etiam locus coeli statim ab instanti in quo incarnatus est et potitus beatifica visione, qua eius anima statim facta erat perfectissime beata. Tu vide, an profeceris circa desideria et resolutiones factas quoad habitandum in locis incommodis, vilibus, amori proprio ingratis; et agnosce quid tibi circa hoc sit faciendum, ut ostendas Deo, te vere profecisse in amore eius, rerum tuarum communicativo.

PUNCTUM III. — Considera *tertiam* rem, quam Christus donavit, suscipiendo ex amore tui perpetuam mansionem per novem menses in utero materno, etsi purissimo, tamen in naturalibus humoribus et sanguine humano se demergens, et hunc carcerem sponte eligens procul dubio molestissimum, quia erat ratione praeditus perfectissima. Unde merito hanc charitatem eius Ecclesia ponderans ait: «Non horruisti Virginis uterum». Tu examina te, quam sis cellae addictus et silentio, habens cellam, et semper tota vita tua habiturus, sine ulla comparatione commodiorem, et non ita molestam, uti erat uterus virgineus. Vide ergo, quomodo in amore cellae et silentii quod illa confert debeas ostendere maiorem tuum erga Christum amorem.

PUNCTUM IV. — Considera *quartam* rem, quam tibi ex amore tui donavit Deus in carne, gloriam scilicet et honorem, qui ei ab omnibus creaturis rationalibus debebatur, et tanquam Creatori, et tanquam Redemptori, quo tamen caruit; et is qui ei exhibitus est, fuit a pauculis valde, et cum tot imperfectionibus. Deinde per duodevigiti annos a duodecimo aetatis latuit inglorius, a nullo agnitus, usque ad tempus suae praedicationis et baptismi. Tu examina te, an profeceris in ardenti desiderio latendi et vivendi sine ullo honore, et an ames nesciri. Et excita in te ardens desiderium pro

amore Domini Dei tui vivendi sine notitia et gloria apud homines, et latendi in aliquo angulo villissimi domicilii nostri, sine ulla speciosa occupatione, et sine promotione ad altiora, et in oblivione apud omnes, praesertim Superiores et alios a quibus promoveri posses. Et hanc voluntatem constanter conservandam offer Domino Deo tuo, et saepe renova quovis die, quia est magnum sacrificium et valde acceptum Domino Deo tuo.

Meditatio XXIII.

De iisdem donis ulterius.

Punctum I. — Considera *quintam* rem, tibi a Domino Deo amatore tui ex tali amore donatam, nimirum exiguam gratiam quam habuit apud domesticos, cum quibus perpetuo vixit fere per tringinta annos in eadem domo, et apud suos cognatos ex parte Mariae et Ioseph, qui in quadam occasione: *exierunt tenere* Christum Dominum, *dicebant enim, quoniam in furorem versus est* [1]); hoc est, factus stultus et insanus, vel, ut exponit Theophylactus, «obsessus est ab aliquo diabolo». Tu considera an creveris in desiderio malae aliorum opinionis de te; et resolve te ad servandam regulam undeci-

[1]) Mar. III. 21.

mam Summarii, ut libenter habearis pro stulto... Et tunc vere ostendes profectum in maiore erga Deum amore.

PUNCTUM II. — Considera *sextam* rem, tibi donatam a Christo ex amore tui, scilicet adhaesionem discipulorum. Nam quamvis visis eius miraculis et audita sanctissima doctrina eius, multi discipuli eum amarint, eique adhaeserint, tamen postea deseruerunt eum solum, idque tum cogitatione, tum verbo, tum opere. Cogitatione quidem, quia quando maxime esse debebant Christo grati eius discipuli, ob promissam Eucharistiam, per sui corporis traditionem faciendam, non credebant ei: *Sunt*, inquit, *quidam ex vobis qui non credunt* [1]). Deinde verbo eum deseruerunt, quia *multi... ex discipulis eius dixerunt: durus est hic sermo..., et murmuraverunt* [2]). Tandem opere, quia *multi discipulorum eius abierunt retro, et iam non cum illo ambulabant* [3]). Tu vide an ita pro Deo velis carere tuis patronis et adhaerentibus tibi, et resolve te in hoc puncto, quomodo debeas ostendere profectum in amore erga Deum, nec quaerendo patronos et adhaerentes, nec aegre ferendo si deseraris ab omnibus.

PUNCTUM III. — Considera *septimam* rem, quam tibi Dominus Deus tuus ex tui amore donavit, privans se necessaria defensione et

[1]) Ioann. VI. 65. [2]) Ibid. 61, 62. [3]) Ibid. 67.

consolatione, tunc quando maxime illi erat necessaria, biduo ante mortem. *Omnes* enim *discipuli relicto eo fugerunt* [1]); Petrus vero quem destinaverat pro suo vicario, ter eum negavit, adhibito etiam iuramento; Iudas vero eum vendidit. Hinc disce, non aegre ferre, si dum opus est humano auxilio, nullus tibi succurrat, praesertim ex iis, qui possent et deberent, tui aliquando amici et tuis beneficiis obligati. Quomodo autem hac in parte sis dispositus, vide, et factis ostende, te in amore Dei profecisse, omnem tui defensionem Domino Deo tuo donando.

Punctum IV. — Considera *octavam* rem, tibi a Christo Domino donatam, esse opinionem de doctrina sua, quae traducebatur a primoribus populi Dei, tanquam Deo iniuriosa et legi Moysis contraria, idque et privatim et publice. Tu introspice te, an profeceris in desiderio et amore vilis de tua doctrina opinionis; an sentis quod studia non perfeceris; vel, si perfecisti, quod non docueris ea quae didicisti, et quod alii, te iuniores et tuo iudicio inferiores, promoti sint ad docendum; et quod tibi resistatur vel contradicatur, dum aliquid asseris doctrinam redolens. Et vide quomodo te deinceps in collegiis gerere debeas in materia doctrinae.

---

[1]) Matth. xxvi, 56.

Meditatio XXIV.

De iisdem finis.

PUNCTUM I. — Considera *nonam* rem, quam tibi Christus donavit ex tui amore: splendorem natalium. Nam, ut Deus, Patrem habuit Regem regum et Dominum dominantium; ut homo, natus est ex regia familia David; tamen habebatur pro filio fabri, et sic appellabatur ab extraneis, et ab ipsa Matre: *Ecce pater tuus et ego, dolentes quaerebamus te* [1]). Tu vide quantum profeceris in hoc puncto, et an minus nunc erubescas natales tuos, si plebeius es; et, si nobilis, an sis paratus magis quam antea haberi pro rustico et mendico. Et hinc agnosces, quomodo te agere debeas in hoc puncto.

PUNCTUM II. — Considera rem *decimam*, tibi a Christo ex tui dilectione donatam: commendationem sobrietatis et temperantiae in cibo ac potu. Voluit enim ea carere propter tuam superbiam. Ideo de eo dicebatur: *Ecce homo vorax et potator vini* [2]). Tu vide tria in hoc puncto: 1°, an non vere conveniat tibi hoc, quod falso adscribebatur Christo tuo; 2°, an saltem minus quam antea lapsus sis in temperantia et sobrietate; 3°, quomodo te deinceps gerere post «tertium annum» debeas, ad ostendendum Deo,

[1]) Luc. II. 48. [2]) Matth. XI. 19.

te profecisse in amore eius quoad hoc, donando ei, hoc est, renunciando pro eius amore vitiis gulae.

Punctum III. — Considera *undecimam* rem, a tui amante Christo tibi donatam: conversationis integritatem. Quamvis enim semper sanctissime conversatus fuerit quoad se, et quaerens utilitatem spiritualem eorum, cum quibus conversabatur, tamen male quoad hoc audiebat a magnis viris. Ideo dicebant de eo: *Cum peccatoribus manducat Magister vester* [1]*;* et est *publicanorum et peccatorum amicus* [2]; quasi dicerent: similis simili gaudet; talis est, quales sunt ii cum quibus conversatur. Tu vide an conversatio tua sit cum aliis ad iuvandos eos, an potius ad dandam eis occasionem (etsi a te directe non intentam) peccandi otiosis et contentiosis sermonibus; et an conceperis desiderium, ut et de te sit mala apud alios opinio, tanquam male conversante et domi et foris.

Punctum IV. — Considera *duodecimum* Christi donum, quo te affecit, privando se opinione de miraculosis Dei donis, eo quod miracula ab eo facta arti diabolicae, non eius potestati attribuerentur, quasi *in Beelzebub principe daemoniorum daemonia* [3] eiiceret. Haec quam gravis iniuria fuerit, spectata Domini et Divinitate, et humanitate, vide, et cum ea confer omnes quas

[1]) Marc. II. 16. [2]) Matth. XI. 19. [3]) Luc. XI. 15.

potes in hac vita pati accusationes et calumnias, et resolve te ad tolerandas omnes ex Dei amore patienter et libenter et cum exultatione; sic enim ostendes, tenere te Deum tuum amare, vero et solido amore, qui in rebus difficilibus et amori proprio iniucundis solide demonstratur.

Meditatio XXV.

De «Schola affectus».

PUNCTUM I. — Considera, «tertium annum» a S. P. N. Ignatio vocari «scholam affectus» [1]; quae verba praebent tibi materiam perpendendi conditiones scholae; quarum *prima* est, ut in ea studeatur diligenter; qua in re, inprimis vide, an ea diligentia in tertio anno attenderis ad eius occupationes proprias, qua attendebas olim scholas frequentando, dum te parares ad repetendam lectionem, vel ad defensionem thesium, vel ad oppugnationem. Deinde cum occupationes tertii anni sint ex se praestantiores lectionibus scholasticis, multo diligentius adhuc debebas illis attendere, quam attenderis olim istis. Quod si non fecisti, dole, humilia te coram Deo, veniam pete et gratiam, ut Deus auxiliis suae gratiae in te id suppleat,

[1]) Constit. p. v. c. 2. §. 1.

quod tibi deest, et quod non acquisivisti in hac schola affectus, et certo acquisivisses, si saltem eam diligentiam quam in scholis prophanis adhibebas in hac adhibuisses.

Punctum II. — Considera, *secundam* conditionom scholae esse, ut quis praeter studium diligens, in ea notabiliter proficiat, et se profecisse agnoscat in fine saltem anni. Tu examina te, an, et qua in re, et quantum profeceris; praesertim in his: 1^0, in diminutione peccatorum deliberate committi antea solitorum; 2^0, in faciendis melius, hoc est diligentius ac ferventius rebus ordinariis, praesertim ad immediatum Dei cultum spectantibus; 3^0, in ferendis patienter rebus adversis. Quocirca si in his profecisti, Deo age gratias; sin secus, confudere, dole, veniam pete...

Punctum III. — Considera *tertiam* conditionom huius scholae in hoc sitam, ut non tantum studendo diligenter profeceris, sed profectum hunc et in studendo diligentiam ostenderis aliquibus actibus insignibus et notabilibus, uti in scholis ostendi solet, per bonas defensiones vel oppugnationes thesium. Hoc, proportione quadam faciunt ii, qui in «tertio anno» actus heroicos mortificationis et confusionis sui, et contemptus honorum et respectuum, in aliquibus rebus valde amorem proprium deprimentibus, ediderunt. Hoc an feceris vide; si fecisti, gaude, age Deo gratias, nam experiere Dei re-

munerationem. Si non fecisti, saltem in hoc fine aliquid pro Deo facias, qui *exinanivit semetipsum* [1]) propter te *et sustinuit mortem*, ut ait Apostolus, *confusione contempta* [2]).

PUNCTUM IV. — Considera, *quartam* conditionem scholae id exigere, ut praemissis tribus rebus supra dictis, scholaris mereatur promoveri ad scholam vel gradum aut locum altiorem et honorificentiorem. Ad hoc pervenitur in «tertio anno», per excellentiam et eminentiam quandam profectus, saltem in virtute aliqua insigni, uti est: contemptus sui et rerum honorificarum, patientia in adversis, intus excludens perturbationem animi, extra vero, silentio omnes querelas et excusationes repellente decorata, et devotio accurata et ardens in operibus pietatis. Hoc an sis assecutus vide, et si quid adhuc deest, conare ut assequaris.

Meditatio XXVI.

De classibus eiusdem Scholae.

PUNCTUM I. — Considera, *primum* gradum huius scholae, et veluti classem, esse spirituale alphabetum; cuius primam literam sanctus Bonaventura scripsit esse: «Ama nesciri et pro nihilo reputari». Hoc an didiceris in hac

[1]) Philipp. II. 7. [2]) Hebr. XII. 2.

schola, vide, et prout in te inveneris profectum vel defectum, actus proportionatos ede, vel humiliationis, vel gratiarum actionis.

Punctum II. — Considera, *secundum* huius scholae gradum et classem esse, legendi peritiam, quae in hac schola affectus demonstratur in lectione librorum. Vide ergo quorum librorum lectione te occupaveris hactenus, an curiosorum, an spiritualium; et ex spiritualibus, an utiliorum. Et agnosces hinc, quam bene in hac schola studueris, et quomodo in posterum legere libros debeas, spectato tum statu tuo religioso, tum functionibus sacerdotalibus, quae exigunt magnam peritiam casuum conscientiae, et talium librorum lectionem, quae tibi materiam suppeditet, et ad pia cum saecularibus colloquia, et ad exhortationes, et ad bona consilia in confessione et extra eam aliis danda.

Punctum III. — Considera, *tertium* gradum seu classem huius scholae, esse sitam in bona constructione, quae in partibus grammaticae addiscitur. Hoc in schola affectus apparet, dum quis ita loquitur et domi et foris, ut quoad materiam sermonum, et quoad modum loquendi a vanitate, a scurrilitate, a levitate, et saecularitate ac contentione sit alienus. Quomodo ergo hac in re te gessisti, pondera, et statue apud te, quomodo deinceps in hac re procedere semper debeas, et domi cum domesticis, et foris cum externis.

PUNCTUM IV. — Considera, *quartum* gradum et classem huius scholae exigere eruditionem multiplicem, praesertim historicam, philosophicam et theologicam; haec enim omnia ad complementum docti scholastici requiruntur. In hac autem schola affectus hoc acquiritur, accurata lectione librorum, Sanctorum vitas, praesertim Confessorum, continentium, et historias Societatis. Item aliorum, qui tradunt cognitionem practicam rerum spiritualium, circa modum orandi, circa praxes virtutum, circa cognitionem divinarum perfectionum imitandarum. An autem his in rebus in tertio anno te occupaveris, et profeceris, vide, et quid deinceps facere debeas, tecum statue.

Meditatio XXVII.

De discipulis huius Scholae.

PUNCTUM I. — Considera, scholasticos diligentes, contentos non esse rebus supradictis, sed dare operam, ut in schola potiantur loco honoratiore. Locus honoratior in schola Christi est, multitudo meritorum, per frequentiam bonorum operum accumalatorum, magis quam ab aliis factum sit. Tu vide, an plus ceteris laboraveris, et te mortificaveris, et ferventior vixeris, et plura bona feceris; et hinc agnosces,

an, iudicio Dei, dignus sis loco altiore in schola eius.

Punctum II. — Considera, bonos scholares, ut loco potiantur altiore, illi potissimum incumbere studio, ob quod sciunt a magistro, suos promoveri socios ad locum altiorem. Idem faciunt ferventes Christi scholares, edocti a Christo Magistro, qui dixit: *Recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit, dicat tibi: Amice ascende superius* [1]). Hoc an feceris in tertio anno, recogita, examinando cogitationes tuas et affectus et verba, quae proferebas, dum aliquid accideret, quod tui contemptum praeseferret; et agnosces, an functus sis officio boni in Christi schola scholaris; et ut talis sis, adnitere.

Punctum III. — Considera magnam caecitatem multorum, qui pluris faciunt, et se pluris facere ostendunt locum altiorem iudicio hominum, quam eum, qui est altior iudicio Dei. Ideo enim officia speciosa expetunt, gradus honoratiores, applausum hominum, quam his contraria; quae si accidant, contristantur. Cum tamen iudicio Dei, et totius Curiae coelestis, pluris fiant ea, quae mundus refugit et detestatur, uti sunt: falsae accusationes, iniuriae, contemptus, reprehensiones, degradationes, et his similia, quae amor proprius refugit. Resolve

[1]) Luc. xiv. 10.

ergo te, ad honorandum etiam hac re Deum, ut sectando ea, quae illi maxime placent, ostendas te pluris facere iudicium Dei, quam hominum.

PUNCTUM IV. — Considera, scholam Christi non carere gradibus, et quidem melioribus quam soleant in scholis mundi inveniri, dum doctiores discipuli ad magisteria et doctoratus promoventur. Gradus in schola Christi, sunt cathedrae altissimae in coelo, ad quas evehuntur, qui hic melius se gesserunt in schola Christi. Sic sancto Francisco data fuit illa ipsa cathedra ob eius vitae sanctimoniam, praesertim ob humilitatem, ex qua superbus Lucifer fuit deiectus ad barathrum inferni. Exerdesce ergo, desiderio cathedrae altissimae in coelo, ut Deo proxime assideas, non alium ob finem, quam ut tanto magis ibi Deum colas et ames, et in te ostendas copiosum fructum meritorum Christi Magistri, et doctrinae eius efficaciam. Ad quod quid necessarium sit, vide, et adhibere stude.

Meditatio XXVIII.

De principali re, ad quam affectus nostri ferri debent.

PUNCTUM I. — Considera (occasione dicti S. P. N. Ignatii, qui «tertium annum» appellavit

«scholam affectus», volens ut in ea acquirerentur boni affectus, vel antea acquisiti augerentur et corroborarentur) *primam* rem, erga quam affectus in tertio anno acquiri debuit, esse, divinam maiestatem, quae cum sit infinitae perfectionis obiectum, summe amabile et naturaliter et supernaturaliter: voluntas nostra debet erga eam ferri, tanquam erga summum bonum suum, et naturale et supernaturale. Quocirca introspice tuum statum internum, an tua voluntas, magis per affectus suos feratur erga Deum et res divinas, quam erga temporales; scilicet erga commoditates corporis, erga officia speciosa, erga conversationes cum hominibus; et prout agnoveris tuum statum, tales actus elicias: vel doloris et confusionis, vel gratiarum actionis et propositi deinceps Deum tractandi, ut meretur.

Punctum II. — Considera, divinam Maiestatem, quamvis, per impossibile, non esset talis qualis in se est, tamen ob ea quae praestitit, et praestat, tum aliis creaturis, tum tibi, meretur, ut maiorem erga eam, et in corde habeas, et in verbis ac operibus ostendas affectum, quam unquam ostenderis erga tuos parentes, erga consanguineos, erga amicos. Examina ergo te, an hactenus, saltem in hoc «tertio anno», ita tractaris Deum uti solebas olim tuos parentes, et nunc amicos et socios. Hoc autem agnosces ex his signis:

Primo. An ita procuraris non offendere Deum, omnia tua spectantem, sicut cavebas, ne quid diceres et faceres spectantibus tuis parentibus, quod putabas eis valde displiciturum.

Secundo. An cum tali affectu fueris solitus ire ad orationem, quae est colloquium cum Deo, cum quali solitus eras, et es, ire ad colloquendum, cum bono amico tuo, et tempore recreationis, quando licet colloqui, et alio tempore vetito. Et ex his considerationibus, proficere stude.

PUNCTUM III. — Considera, omnes cogitationes internas tuas, et voluntatis affectus, circa quid versenter frequentius et diutius, et cum maiore applicatione mentis, et cum maiore gustu, et cum minore taedio, an circa Deum et res divinas, an circa alia. Et hinc agnosces, an profeceris in hac schola affectus, in affectu erga Deum. Et quid in hoc statu tibi sit faciendum, delibera, et apud te coram Deo propone exequendum.

PUNCTUM IV. — Considera motiva, et naturalia et supernaturalia, quae abunde habes, et per te ipsum cum Divino auxilio agnosces, ad habendum magis affectum erga Deum et res ad eius cultum spectantes, quam ad alia, quae vel displicent, vel non aeque placent Deo. Et ex horum consideratione, excita te, ad mutandam vitam in melius, et ad compensados praeteritos tuos defectus.

Meditatio XXIX.

De tribus aliis obiectis nostri affectus.

Punctum I. — Considera, *secundam* rem, erga quam post Deum debet tuus ferri affectus, esse sanctam Ecclesiam, sponsam Dei, et matrem tuam. Hic affectus erga hanc matrem tuam apparet, si exequeris ea, quae illa tibi praescripsit, et omnibus aliis filiis suis, et eo modo, quo vult sua praecepta ab omnibus filiis suis mandari executioni Vide ergo inprimis, an eo modo horas canonicas recites, quo mater tua vult a te recitari, quoad tempus, quoad attentionem, quoad locum, in quo eas recitas, quoad situm, quoad festinationem vel tarditatem scrupulosam, ei invisam. Et agnosces, an in «tertio anno» profeceris in hoc, vel defeceris, et proficere stude.

Punctum II. — Considera, aliud tuae matris praeceptum, circa ieiunia ecclesiastica, an ea in «tertio anno» bene servaveris in vespertina collatione, et si quid sit deplorandum et confessioni subiiciendum, deplora et subiice, et firmiter statue, quomodo debeas deinceps hac in re tuae sanctissimae matri obedire.

Punctum III. — Considera, *tertiam* rem, erga quam tuus debet ferri affectus, esse Superiores tuos immediatos et mediatos; et examina te, an erga illos habueris in «tertio anno» talem

affectum, qualis esse debuit erga vicarios Dei et tuos Patres. Et quod conscientia dictaverit, hoc apud te statue, et circa praeterita et circa futura.

PUNCTUM IV. — Considera, *quartam* rem, erga quam debet versari tuus bonus affectus, esse fratres tuos cum quibus versaris. Et cum sint fratres tui, et fraternitas spiritualis, uti docent sanctus Augustinus et sanctus Ambrosius, sit praestantior carnali: maiore affectu debes prosequi tuos in Religione fratres, quam soleant carnales fratres suos confratres. An vero saltem eo affectu prosequaris tuos religiosos fratres quo illos, examina te, revocando in memoriam, quomodo boni et honesti fratres carnales se prosequantur et secum agant. Et agnosces, an, in «tertio anno» quoad hoc profeceris, et quid tibi sit deinceps faciendum.

Meditatio XXX.

De quatuor aliis huiusmodi obiectis.

PUNCTUM I. — Considera, *quintam* rem, erga quam debuisti acquirere affectum in tertia probatione, esse personas spirituales, hoc est eas, quae videntur fugere violationem parvarum regularum; eas quae libentius loquuntur de rebus spiritualibus quam de prophanis; eas, quae sunt exterius magis compositae et mo-

destae; eas, quae habentur a discolis, pro scrupulosis. An autem acquisiveris affectum maiorem erga tales, quam habueris antea, examina te, et statue, quid hac in re tibi sit in posterum faciendum.

Punctum II. — Considera, *sextam* rem, erga quam debuisti acquirere affectum in «tertio anno», esse libros spirituales, tractantes spiritualia, et excitantes affectum ad pietatem potius, quam curiosum pastum intellectus. Quocirca an quoad hoc punctum in «tertio anno» profeceris, vide, et quid te facere hac in parte oporteat, agnosce, ut saltem postea compenses id quod tibi tua culpa defuit quoad hoc in tertio anno.

Punctum III. — Considera, *septimam* rem, ad quam in tertio anno debet acquiri vel augeri affectus, esse colloquia spiritualia. Cum enim S. P. N. Ignatius velit suos in «tertio anno» evadere «in vita spirituali perfectos», procul dubio debent affici rebus et colloquis spiritualibus, nam ex abundantia cordis os loquitur. Quocirca si ex ore nostro spirituales sermones non procedunt, Christi iudicio, cor non est spirituale, nec ille homo spiritualis. Vide ergo quid tibi deinceps faciendum sit, ut hinc egressus, vivas etiam quoad tuos sermones, tanquam vir spiritualis.

Punctum IV. — Considera, *octavam* rem ad quam affectus in «tertio anno», maior acquiri: debuit, esse finem nostrae Societatis, qui est

«procuratorio impensa nostrae et alienae salu-«tis ac perfectionis», suscepta ex pura intentione divini obsequii, per media in Societate usitata. An autem hac in re profeceris, vide, et quomodo te deinceps quoad haec gerere debeas, delibera, praesertim cum ad complementum finis in tertio anno propositi, necesse sit ut per tertii anni exercitationes homo «evadat «idoneum instrumentum ad animas Christo lu-«crifaciendas» [1]).

Meditatio XXXI.

Quid sentiendum de hoc «tertio anno» peracto?

PUNCTUM I. — Considera an, si modo tibi moriendum esset, hoc est immediate post hanc meditationem, putares te bene peregisse tertium annum, et fructum spiritualem in eo acquisitum aequivalere sumptui Societatis pro te per hos menses, hoc in loco, facto. Et prout tibi conscientia tua, nota Deo, te hoc examinantem introspicienti dictaverit, tales affectus elicias: vel gratiarum actionis et divinae laudis, vel doloris et confusionis.

PUNCTUM II. — Considera, si Superior esses, amans observationis et boni communis Socie-

[1]) Ordin. Gen. c. III. (Romana edit. Instit. vol. II. pag. 213.)

tatis, an si a te alter Superior, maior, exigeret iudicium tuum de aliquo, qui ita vixisset in «tertio anno» uti tu vixisti, an inquam, iudicares, eum bene peregisse tertium annum, hoc est, ea esse assecutum, ob quae Societas habet tertium annum; et ex hac consideratione proficere stude.

Punctum III. — Considera, te postquam hinc discesseris, habituros multos oculos consideraturos tuum procedendi modum. Et cum etiam humana iudicia, parvi facienda non sint, sed illis etiam utendum ad vitae nostrae informationem, vide quae tibi fugienda sint, quae facienda, ut ex pura Dei dilectione, non ob vanitatis desiderium, ita te geras, ut provideas *bona non* tantum *coram Deo, sed etiam coram hominibus* [1]), ut loquitur Apostolus.

Punctum IV. — Considera, quid sanctus Angelus custos sentiat de vita tua in hoc «tertio anno» transacta, tum in cubiculo tuo, quando eras solus, tum de colloquiis tuis institutis cum aliis patribus tertii anni, tum de colloquis domi habitis cum veteranis, seu iis qui non fuerunt tui in tertio anno socii, tum de modo agendi, et loquendi, et vivendi cum saecularibus tempore missionum: et ex singulis considarationibus decerpe seria et efficacia proposita, conductura ad hoc, ut postea vivas iuxta finem

[1]) II. Cor. VIII. 21.

tertii anni, «tanquam vir in vita spirituali per-«fectus, et idoneum Societatis instrumentum, ad «animas Christo lucrifaciendas» [1]).

Meditatio XXXII.

De propositis et beneficiis Dei tempore «tertii anni».

PUNCTUM I. — Considera, revocatis in memoriam praecipuis Dei inspirationibus, quas habuisti tum alio tempore, tum in hac octiduana collectione, et propositis bonis quae fecisti: quomodo deinceps te gerere debeas erga Deum, erga Sanctos, erga alios homines, et erga teipsum, in usu interno memoriae, intellectus et voluntatis; et firmo animi decreto statue, quae fugere debeas, et quae facere.

PUNCTUM II. — Considera simili modo praecipuas Dei inspirationes et bona proposita circa usum externum oculorum, aurium, et linguae, et propone firmiter, quae deinceps in his vitare et facere debeas.

PUNCTUM III. — Revoca in memoriam praecipuos tuos defectus in «tertio anno» admissos, veniam pete a Deo, et a Sanctis, praesertim ab Angelo tuo custode, et statue aliquid, quod

[1]) Ordin. Gen. c. III. (Romana edit. Instit. vol. II. pag. 213.)

sit loco satisfactionis pro iis, a te exequendum.

Punctum IV. — Gratias age Domino Deo tuo, pro omnibus beneficiis, quae in te contulit, in hoc «tertio anno», revocando praecipua in memoriam, et ora Deum, et Sanctos eius, ut tibi det gratiam efficacem, fugiendi ea quae fugere decrevisti, et exequendi bona, quae exequi proposuisti.

Meditatio XXXIII.

De Sanctissima Eucharistia.

Punctum I. — Considera *quis* accipit Sanctissimam Eucharistiam? Reus, servus, cliens, filius, aeger.

Punctum II. — Considera *quid?* Iudicem, Dominum, Benefactorem, Patrem, Medicum.

Punctum III. — Considera *ad quid* seu cur? Ut impetret condonationem offensarum; ut ediscat bene servire; ut maiora beneficia percipiat, et pro perceptis gratum se ostendat; ut se gerat tanquam bonus filius; ut obtineat sanationem ab his et ab illis infirmitatibus spiritualibus, uti aeger.

Punctum IV. — Considera *quomodo?* Gratis accipit, per modum cibi; ergo ut ad cibum capiendum eamus cum desiderio, ut cum gustu

eum percipiamus, et ut referamus illos effectus spirituales, quos cibus praestat corpori.

Meditatio XXXIV.

De non curandis sinistris hominum opinionibus de nobis.

PUNCTUM I. — Considera, virtutem humilitatis hoc exigere et ad hoc impellere homines, ut cupiant se stultos, imperfectos, malos existimari; et cum humilitas sit fundamentum omnium virtutum, ut dicunt Sancti, si tu vis esse virtutibus praeditus, hoc desiderare debes.

PUNCTUM II. — Considera, omnes Sanctos eximios optasse, ut pro pessimis et ineptis ad omnia haberentur. Si ergo vis esse Sanctus, eadem via progredere.

PUNCTUM III. — Considera, Christum innocentissimum, et ad omnia, etiam quoad humanitatem aptissimum, fuisse propter te in pessima opinione apud omnes primores populi, principes sacerdotum et seniores populi, scribas quoque ac pharisaeos. Cum autem sis eius servus, et velis haberi pro eius servo, non debes melius in hac vita tractari, quam fuerit tractatus Dominus tuus. Resolve ergo te, ad desiderandam malam opinionem hominum de te, hoc est, de tua virtute, de tuis talentis naturalibus, et omnibus aliis rebus ad te

spectantibus, ut sis quam simillimus Domino tuo.

Punctum IV. — Considera duo: 1°, si est verum desiderium huius rei, debere te (quia hoc non est peccatum) etiam procurare, quantum est in te, salva regula undecima, ut sis in mala opinione aliorum. Adhibe ergo media licita, cum licentia tuorum moderatorum, ut hoc assequaris; 2°, cum hoc debeas facere, non propter homines, sed propter Deum, summam illam et infinitam Maiestatem, non debes ponere ullos limites huic desiderio, et procurationi executionis huius desiderii, sed quodammodo infinite te humiliare et mortificare in procuranda mala opinione de te. Resolve te ergo ad aliquos actus heroicos pure propter Deum infinitum.

C) MODUS FACILIUS MEDITANDI

PRO SAECULARIBUS PERSONIS, PRAESERTIM PROCERIBUS ET IN MAGISTRATU ALIQUO POSITUS.

Praeviae observationes.

I. — Post praelecta et menti bene impressa puncta meditanda, vel de mysteriis vitae Christi Domini, vel de novissimis, vel de beneficiis divinis, instante hora meditationis, aspergat se aqua benedicta, et facto signo sanctae Crucis, devote genua flectas, in loco in quo meditaturus es, adorando Sanctissimam Trinitatem, non tantum in coelo, sed etiam in illo ipso loco, uti nos fides catholica docet, intime et vere praesentem, et te, ac tuam meditationem spectantem; et in unione meritorum Christi Domini, offeras sanctissimae Trinitati ad eius laudem et gloriam, faciendam meditationem, et totum te ipsum, petasque gratiam ab ea necessariam pro bene facienda illa meditatione.

II. — Tunc autem bene fiet meditatio, quando in illa, vel agnosces aliquam veritatem utilem animae tuae, vel senties te excitatum ad amorem alicuius virtutis, vel ad fugam alicuius vitii, aut imperfectionis, etiamsi tunc non sen-

tires in te ullam consolationem sensibilem; imo quamvis sentires in te aliquas tentationes contrarias alicui virtuti, dummodo illis non praebeas assensum, et coneris quantum potes eas repellere.

III. — Si non potes genibus flexis meditari, mediteris stando vel sedendo, modeste tamen et reverenter, eo modo quo sederes loquens cum rege si esses infirmus, iussus ab eo sedere. Quod si sentires, te melius ambulando meditaturum, potes etiam ambulando lente meditari, dummodo id facias in loco separato et hominibus non pervio.

IV. — Per meditationem hic nil aliud intelligitur, quam consideratio seria et lenta, seu ponderatio punctorum meditationis, eo fine instituta, ut per eam moveatur nostra voluntas, ad amorem alicuius virtutis vel ad odium, et fugam alicuius peccati, vel defectus; seu ad morum in re aliqua emendationem, et vitam melius instituendam; seu, ut per pias considerationes excitetur in te pius aliquis affectus, vel doloris de peccatis, vel desiderii meliorandae vitae, vel amoris erga Deum, vel alius similis.

V. — Quoniam vero voluntas nostra non movetur ad aliquid optandum, vel fugiendum, nisi praecedat cognitio rei optandae vel vitandae, ideo piae considerationes adhibentur, circa res desiderandas et fugiendas; et quo melius

res cognoscuntur, eo magis voluntas movetur; ideo sine festinatione mentis, res lente et profunde ponderandae sunt, piis considerationibus, ut per eas excitetur voluntas ad amorem boni, et odium ac fugam mali alicuius in particulari. Nam sat non erit in genere excitare in se desiderium boni et odium mali, sed ad particulares actus bonos desiderandos et postea exequendos, ac ad particulares defectus vitandos excitanda est voluntas, quia ni ita fiat, bona proposita cito evanescunt.

VI. — Porro in collectione annua, quibus ea est in usu, harum rerum, comparanda est intima et profunda cognitio et valde viva:

Primo. Divinae Maiestatis, cui omnes homines servire suo modo, quisque suo in statu, debent. Ex cuius cognitione duo effectus sequi solent: timor, et amor eius. Timor in eo situs est, ne offendatur deliberate ullo peccato; amor vero, ut faciamus omnia, quae vult a nobis fieri, iuxta illud: *Si quis diligit me, mandata mea servabit* [1]).

Secundo. Procuranda est cognitio magna gravitatis et foeditatis cuiusvis peccati, quae tanta est, ut non liceat ioco mentiri, etiamsi quis sciret, per commissum tale mendacium, totum mundum salvum fore.

Tertio. Procuranda est cognitio gravitatis

[1]) Ioann. XIV. 23.

poenarum purgatorii, ex qua sequitur, ut homines raro peccent et pro peccatis commissis adhibeant in hac vita multa opera satisfactoria.

Quarto. Procuranda est cognitio magnitudinis et praestantiae gloriae coelestis, quam praeparavit Deus servantibus eius mandata, et ei fideliter servientibus.

Hinc oritur ardens desiderium, coniunctum cum executione, quam plurima bona opera faciendi, et mala tolerandi; per haec enim acquiruntur magna praemia in coelo.

Quinto. Procuranda est cognitio multiplicis et perpetuae beneficentiae Dei, nos quodammodo suis beneficiis obruentis, tum communibus, tum personalibus.

Hinc oritur maior erga Deum amor quam soleat esse in nobis erga homines nobis benefacientes, quorum beneficia in nos collata nec tot, nec tanta sunt, uti sunt divina.

Sexto. Procuranda est maior cognitio nostri, quae sita est in tribus: 1^0, in cognitione nostrae promptitudinis ad peccandum; 2^0, impotentiae ad faciendum ullum opus supernaturale et naturale arduum, sine auxilio gratiae Dei; 3^0, ignorantiae multiplicis circa vitanda, et facienda, et corrigenda, quae male vel non perfecte facimus; ex quo sequitur, ut vitemus occasiones peccati, scientes nos esse faciles ad peccandum; ut nos humiliemus coram Deo,

videntes nostram infirmitatem et debilitatem ad bona facienda; et ut petamus semper divinum lumen, quod nos dirigat in omnibus, et doceat, quid et quomodo vitare, et facere, et corrigere debeamus. Harum rerum cognitio acquiritur tempore collectionis, tum lectione piorum librorum, tum per examina conscientiae profundiora, tum in meditationibus, tum per colloquia cum Patre spirituali, tum assidua invocatione divinae Maiestatis, quae dat bonum spiritum petentibus se, tum maxime per regulas electionis, applicandas emendationi seu reformationi circa vitae statum, positas in fine secundae hebdomadae exercitiorum S. P. Ignatii.

De fine collectionis magnatum.

Primus finis esse debet, introspicere conscientiam propriam an sit in ea aliquid, cum quo nolles mori sine confessione, si hic et nunc tibi moriendum esset. Examina ergo te nunc eo modo, quo id faceres, si decumberes, paulo post moriturus, desperatus a medicis. Et, si inveneris per hoc sincerum examen, aliquam rem, sive peccatum, sive obligationem restituendi aliquid alteri, sive aliquid aliud, vel Confessione sacramentali vel restitutione, aut alio modo expiandum, expia et satisfac Deo vel proximo sine dilatione; si nihil invenies grave, Deo gratias age, et sic deinceps vive.

Secundus finis esse debet huius collectionis, examinare diligenter praesentem statum tuum, tum quoad personam tuam, tum quoad officium publicum, si aliquod geris in republica tum quoad conversationem tuam cum hac vel illa persona, tum quoad gubernationem tuae familiae, et his similia; an experiaris te in officio tuo, vel conversatione, vel aliqua alia re habere proximam occasionem te inducentem ad aliquod peccatum mortale. Et, si eam inveneris, cogita de motivis, per quae possis te resolvere efficaciter, ad vitandam quam primum et fugiendam deinceps omnem talem occasionem. Inter motiva vero hoc quoque potest esse a Christo Domino datum: *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur animae vero suae detrimentum patiatur* [1]). Nam si illustres et nobiles viri malunt pati iacturam bonorum quam famae, et quam pati publicum dedecus in conspectu imperatoris vel regis: multo magis ii, qui salvari volunt, debent omnia illa relinquere salutis aeternae obstacula, per quae experti sunt, et multo magis, si saepe experiuntur, se ad peccatum aliquod mortale, certum salutis aeternae periculum adferens, devolutos esse, vel devolvi solere, vel ad periculum prolabendi in illud adduci. Quocirca resolve te ad cito amovenda deinceps a te omnia impedimenta

[1]) Matth. XVI. 26.

vitae et salutis aeternae, si quae habes. Si nulla habes, Deo gratias age, et perge in bona vita.

Tertius finis huius collectionis esse debet, inquirere, an hactenus ita vixeris, ut, si nunc tibi moriendum esset, libenter morereris, et non timeres valde mori, ac te iudicio Dei terribili praesentare. Cum enim salus tua aeterna, magis dependeat a bona morte, quam ab alia re, danda tibi est opera, ut bene et quiete moriaris. Quocirca etiamsi vixisses antea sine peccato mortali, vide quae sint illa in te, ob quae non libenter nec cum laetitia morereris nunc, si iam tibi moriendum esset; et ea amovere stude quamprimum, vel ita accommodare, ut possis esse semper paratus ad bene et hilariter moriendum, quandoquidem ex puncto et bono statu mortis, tua pendet aeternitas.

Quartus finis huius collectionis debet esse, felix tuus status post mortem, nimirum, ut vel nullas, vel valde exiguas poenas in purgatorio patiaris. Cum enim poenae purgatorii, ut docent sancti Patres cum sancto Thoma, et patet ex certis historiis ecclesiasticis, sint acerbiores quam omnia tormenta, quae passi sunt Martyres, et quam omnia supplicia, quibus affecti sunt homines scelestissimi, magna esset stultitia tua, non curare, si possis cum Divino auxilio, evadere purgatorii poenas; siquidem, etiam per iacturam bonorum omnium tuorum

ex se: multo magis optare, et procurare debes, ut in regno illo aeterno, nullum finem habituro, locum assequaris quam proximum throno Regis coelestis; siquidem id maius, et utilius, et nobilius bonum est, quam omnis humana prosperitas, pro qua adeo sollicitus es assequenda, retinenda, et augenda. Accendere ergo ingenti desiderio locum in coelo altissimum acquirendi, ut ait sanctus Chrysostomus: «thronum Divino throno proximum», et sic vivendi, ut illum acquiras.

Meditatio I.

De impedimentis salutis amovendis.

(Post orationem praeparatoriam).

PUNCTUM I. — Considera, primum et maximum salutis impedimentum, esse quodvis peccatum mortale, per quod homo redditur inimicus Dei, mancipium diaboli, perdit ius ad regnum coeleste, et destinatur a Deo ad poenas inferni, si in illo peccato moriatur, fitque indignus omni auxilio Divino, et omni dono Dei, etiam naturali, et dignus, qui statim absorbeatur a terra, et detrudatur ad ignem aeternum, et contra quem insurgant omnes creaturae, eumque interimant, et omnia eius bona stabilia et mobilia annihilent per ignem et fulmina, per hiatum terrae, per irruptionem

omnium fluminum, et aliarum aquarum submersionem, et aliis modis. Pondera singula, ut agnoscas quantopere tibi sit vitandum quodvis peccatum mortale. Si enim esset cibus aliquis vel potus, quo leviter etiam gustato, certo scires te morte subitanea moriturum, omnino abstineres a tali cibo et potu semper, quamvis post mortem inde subsecuturam non timeres infernum, eo quod scires te esse in Dei gratia: sane multo magis debes abstinere semper ab omni peccato mortali, quia plura mala, paulo ante commemorata, adducit, quam sit mors subitanea. Quocirca non minus saltem, quam a morte subitanea debes abhorrere a quovis peccato mortali, illiusque occasiones proximas vitare. Et statue apud te, quomodo eas vitare debeas in posterum efficaciter.

Punctum II. — Considera, easdem ob causas debere te quaerere purgationem animae tuae a peccato mortali, statim post lapsum in illud a te agnitum, sicut quaereres efficacem medicinam, statim post haustum aliquod venenum, certam corporis mortem adferre solitum: tum quia maius malum est mors spiritualis illata animae per peccatum mortale, quam solum periculum mortis corporalis ob haustum venenum imminentis, imo quam ipsa mors corporis re ipsa subsecuta; tum quia pericula malorum ex peccato mortali commisso provenientium sunt maiora, quam possint accidere

homini ex sola morte corporali in se sola considerata, nimirum, aeterna damnatio, si te mori contingeret non expiato peccato mortali commisso. Sicut ergo sciens tibi potentissimum exercitum hostium, te multo potentiorem imminere, quaerentem te ad te mutilandum vel captivandum, sine ulla dilatione adhiberes si posses, omnia possibilia auxilia et praesidia, ne in manus hostium venires: ita multo magis debes sine dilatione post quemvis lapsum in peccatum mortale, illud per Confessionem sacramentalem statim abolere, si potes habere confessarium; vel si is absit, per actum contritionis, quo evadas exercitum infernalem tibi ob peccatum mortale poenas inferni, quas eo meritus es, parantem, et te ad illas quasi trahentem.

PUNCTUM III. — Considera, aliud impedimentum salutis esse obligationem satisfaciendi Deo et proximo, neglectam, seu omissam eamque non unam.

Prima obligatio est respectu Dei, satisfaciendi pro peccatis commissis, et quoad culpam remissis per Sacramenta vel per actum contritionis, sed quoad poenam temporalem in hac vita vel in purgatorio luendam, non expiatis. Hinc sanctus Paschasius, uti scribit sanctus Gregorius Papa, post mortem fuit in purgatorio, ob solam tenacitatem iudicii ex zelo ortam, quamvis eius dalmatica faceret, eo mortuo

nondum sepulto, miracula. Quocirca cogitandum tibi est serio, in hac collectione, quibus modis posses dum vivis satisfacere obligationi, et post mortem non pati remoram ab ingressu coeli.

Secunda obligatio est respectu hominum: famae alterius per detractiones denigratae restitutio, quae omissa in hac vita, detinet homines in purgatorio. Ideo quidam defuncti, qui sancto Vincentio Ferrerio, et beato Ludovico Bertrando, magnis Sanctis ordinis Praedicatorum, detraxerant, dum viverent, non sunt admissi ad coelum, donec Dei iussu apparentes illis, eos deprecati fuissent, et suam culpam eis manifestassent, obtinuerintque ab eis veniam et condonationem.

Tertia obligatio est respectu hominum: restituendi res inique ablatas, vel impeditas, vel cum damno alterius detentas seu retardatas, vel per oblivionem culpabilem non solutas, aut destructas; quia iuxta regulam illam in ius canonicum relatum, «non dimittitur peccatum, «nisi restituatur ablatum». Hac obligatione multi proceres, et domini, et iudices, et consiliarii regum, et procuratores, et secretarii, et notarii, seu scribae, et assessores, et consiliarii, et oeconomi, et confessarii supradictarum personarum, sunt vehementer gravati, et multi eorum damnentur, quia fuerunt causa damnorum temporalium vel consilio, vel auxilio, vel

alio modo, etiamsi damnum non fuerit maius iactura aliquot ducatorum vel imperialium seu talerorum, in omni theologorum communi et constanti sententia. Quapropter considera, num fueris causa gravis damni vel tuis subditis, vel tuis famulis, vel tuis vicinis, vel tuis aequalibus, vel fisco aut reipublicae, vel iis quorum causas iudicasti, vel proposuisti in iudicio non vere nec sincere, occultando malitiose, vel alio modo monumenta aliquorum causae profutura; vel contra illos vel pro illis decreta iussu principis et commissiones scribendo, et principem non ita diligenter informando de rei veritate, pro et contra, uti veritas postulabat; et, si inveneris, te coram Deo examinando, fuisse causam alicuius damni, saltem aliquot ducatorum, satisfac sine dilatione parti laesae a te, iuxta consilium docti et prudentis et non adulatoris confessarii; alioqui salus tua periclitabitur.

Quarta obligatio, est puniendi iuste subditos peccantes. Ob huius rei omissionem culpabilem multi damnantur, et in hac vita graviter puniuntur a Deo; sicut fuit punitus Heli sacerdos cum filiis morte repentina sublatis, etsi monuerit filios et reprehendit ob peccata eorum, tamen quia non castigavit eos severius, ut oportebat, Deus tale contra Heli et familiam eius decretum dedit: *Dixit Dominus ad Samuelem:... suscitabo adversum Heli omnia, quae locutus*

sum super domum eius... Praedixi enim ei quod iudicaturus essem domum eius in aeternum, propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios suos, et non corripuerit eos. Idcirco iuravi domui Heli, quod non expietur iniquitas domus eius victimis et muneribus usque in aeternum [1]). Pondera haec, et si quid in te est simile omissum circa subditos non punitos, corrige.

Meditatio II.

De remora salutis.

(Post orationem praeparatoriam).

Punctum I. — Considera, peccata venialia a iustis et a sanctis quoque magnis committi solita, esse multiplicem remoram salutis, has ob causas:

Primo, quia, qui iis in hac vita non abolitis moriuntur, etiamsi essent sancti uti erant Apostoli, non admitterentur ad regnum coeleste, quod est nostra salus aeterna; quia, ut dicitur, *non intrabit* eo *aliquid coinquinatum* [2]). Quocirca, sicut parans te ad adeundum regem, non maculares voluntaria macula tuam faciem, sciens, non esse decorum cum ea te sistere in conspectu regis: ita multo magis parans te in hac vita ad adeundum Regem regum et Dominum

[1]) I. Reg. III. 11—14. [2]) Apoc. XXI. 17.

dominantium, et assidue stans in conspectu eius, ante te vel tibi intime praesentis, non debes te contaminare ullo deliberate commisso peccato. Imprime bene hanc veritatem menti tuae, et abstine ab omnibus peccatis deliberatis, ne secus faciendo, factis ostendas te plus aestimare regem quam Deum.

Secundo modo peccata venialia sunt remora salutis, quia impediunt augmentum gratiae (quae est veluti semen et radix salutis nostrae), contaminando opera nostra, quae extra usum Sacramentorum facimus, si ea facimus cum aliquo peccato veniali, eorum finem vel modum operandi maculante; cum tamen gratia sit intrinseca participatio Divinitatis, ut docent theologi, seu ut loquitur sanctus Petrus: consortium *Divinae naturae* [1]); at, hoc maius est bonum, id est utilius, praestantius, magisque nobis necessarium, quam omnes thesauri huius vitae; sicut igitur execrareris omnes illos et vitares, quos certo scires impedivisse tibi ingens augmentum pecuniarum et aliorum magnorum thesaurorum: ita multo magis debes execrari omnia peccata venialia et vitare, per quae impeditur augmentum gratiae in operibus tuis.

Tertio modo peccata venialia sunt remora tuae salutis, quia, ut ait sanctus Thomas, «sunt «causa, ne animus prompte feratur in Dominum,

[1]) II. Pet. I. 4.

«et quia impediunt fervorem charitatis», qui facit cum promptitudine animi opera bona magis meritoria quam essent si fierent sine fervore et animi promptitudine. Quapropter sicut execrareris illum bonum contractum, quo tantum lucrareris honeste unum pro centum, cum posses aliquo alio bono contractu, eadem pecunia lucrari mille pro centum: ita multo magis execrari debes peccata venialia, illa quoque, quae etsi non impediant totaliter meritum bonorum operum tuorum, impediunt tamen multo maius meritum et lucrum, quod per illa ipsa acquireres, si ea faceres cum omni promptitudine erga Deum et cum fervore, quem peccata venialia impediunt.

Quarto modo peccata venialia sunt remora salutis, quia disponunt ad peccata mortalia (ut docent theologi et Sancti), quibus maculatus homo, est incapax salutis aeternae, quippe factus dignus inferno, et privatus per illa iure certissimo ad salutem aeternam. Quantopere autem disponat etiam unum veniale peccatum ad multa mortalia, apparuit in Davide rege, qui ex aspectu curioso faciei Bethsabaeae (qui initio erat curiositas venialis, et forte indeliberata), devenit ad turpem concupiscentiam illius faeminae, et ad adulterium cum illa per annum integrum continuatum, et ad occisionem innocentis Uriae, eius mariti. Si ergo unus aspectus curiosus faeminae Davidem, tunc vi-

rum sanctum et Domino charissimum, et, quod mirabilius est, habentem tunc ad minimum decem uxores (quia tunc hoc erat licitum), quarum usu suam poterat explere libidinem et concupiscentiam carnis sedare, si inquam virum tam sanctum, unum peccatum veniale disposuit et perduxit ad tot peccata mortalia gravissima: tu, qui non es, uti erat David, Dei iudicio in Scriptura relicto, vir secundum cor Dei [1]), quomodo audes non curare peccata venialia? et tibi fidis, sive aspiciendo curiose faeminas, sive conversando extra necessitatem et incaute et sine testibus praesentibus cum illis, sive adeundo loca periculosa et suspecta, sive audiendo colloquia de rebus inhonestis libenter, sive legendo libros lascivas historias continentes, sive aspiciendo turpes picturas, aut eas in memoriam revocando? Haec enim omnia non minus ad peccatum disponunt multos fragiles et habituatos in malo, quam fuerit ille momentaneus in principio, alienae uxoris aspectus. Pondera haec accurate, et statue firmiter nullum deliberate committere peccatum veniale, praesertim in materia castitatis, imo et iracundiae, et denigrationis famae alinae, et excessus in potu; quia per sola peccata venialia in his materiis commissa, docet experientia, multos, etiam alioqui bonos, delabi in gravia peccata mortalia.

[1]) I. Reg. XIII. 14.

Punctum II. — Considera mirum timorem qui fuit in sancto Ioanne Baptista, declinandi non tantum peccata venialia, sed etiam honestas occasiones incidendi in illa. Hanc enim ob causam, ut canit sancta Ecclesia, «antra deserti «petiit, ab annis teneris, ne levi saltem macula «verbi otiosi se coinquinaret» [1]). Si ergo tam magnus Sanctus, quo, Christi iudicio, *non surrexit maior inter natos mulierum* [2]), et qui antequam esset natus, fuit in utero matris suae sanctificatus, adeo vitavit peccata venialia: vide quid tibi faciendum sit, qui tam longe distas ab eius sanctimonia, et tot tibi accersis non bonas occasiones illa committendi. Cogita ergo quomodo ea et eorum occasiones deinceps vitare debeas.

Meditatio III.

De incitamentis ad promovendam propriam salutem.

(Post orationem praeparatoriam).

Punctum I. — Considera, primum incitamentum ad promovendam tuam salutem, esse finem, ob quem a Deo creatus es, qui, ut ait S. P. Ignatius [3]), est is: «ut Deum laudes ac «reverearis, eique serviens tandem salvus fias»,

[1]) In eius testo hymn. ad Matut. [2]) Matth. xi. 11.
[3]) Exerc. spirit. in Fundamento.

iuxta illud: *Dominus elegit te hodie*, per bonas inspirationes, quas tibi immisit in hac collectione et secessu a negotiis, *ut sis ei populus peculiaris,... et custodias omnia praecepta illius,... et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem, et nomen, et gloriam suam* [1]). Pondera ergo haec singula verba, ut agnoscas intime, quomodo te vivere oporteat, ut vere Deus videat se a te laudari, et glorificari, et quod eum reverearis eique servias in ordinariis operibus tuis. Et si inveneris te bene illi servire, quod fit servando eius mandata, perge sic deinceps. Quod si inveneris te non exequi eo modo Dei voluntatem in praeceptis eius, quomodo vis tibi a tuis famulis et subditis servari tua mandata, confundere, dole, veniam pete a Domino Deo tuo, et serio delibera, quibus modis emendare deinceps debeas servitia tua, Deo male impensa, et propone seriam emendationem tui in aliquibus rebus particularibus.

PUNCTUM II. — Considera radices seu causas, ob quas hactenus Deo male servivisti, et te indignum reddidisti aeterna salute; et quam eae causae indignae sint, ut propter illas Dominum tuum Deum, futurum Iudicem tuum, offendas, et te prives praemio aeterno. Ex altera parte considera, quod ob longe minores causas, negares famulis tuis promissa stipendia

[1]) Deut. XXII. 17—19.

et praemia obsequiorum, si illi ita te offenderent et tua iussa non exequerentur, sicut tu non es executus vel non exequeris iussa Dei. Quomodo audebis petere ab eo tui salvationem, in praemium servitiorum tam male ei impensorum, qui famulis tuis iuste negeres debita stipendia, ob minus male impensa tibi obsequia? Confundere itaque et te emenda, et pete a Domino Deo gratiam, te serio et constanter emendandi.

Punctum III. — Considera, secundum incitamentum ad promovendam tuam salutem esse usum Sacramentorum, per quae toties et liberaris ab impedimentis ac remoris salutis, scilicet peccatis, et gratiam Dei sanctificantem acquiris in anima tua, et gratiae Divinae multiplicia auxilia tibi concilias, ad declinandum a malo et ad facienda bona. Cum autem haec Sacramenta, praesertim Sanctissima Eucharistia, habeant magnam efficaciam ad salutem tuam promovendam, per fugam peccatorum et per frequentationem bonorum operum, inquire quam ob causam in te non experiaris effectus Sacramentorum toties receptorum, et causam vel causas huius rei agnitas deplora, amovere vel vitare stude, et te emenda.

Punctum IV. — Considera, tertium incitamentum ad promovendam tuam salutem esse Christi Domini vitam, passionem et mortem, tot doloribus et afflictionibus et iniuriis, pro te per triginta quatuor annos a Christo Domino

toleratis, plenam. Quae omnia fecit et passus est, ut tu Deo bene servires et salvus esse posses post mortem. An autem, et quibus modis corresponderis Domino tuo, et correspondeas, tam multa pro te passo, inquire et confundere, et veniam pete, et propone seriam emendationem in melius, ponderando illa verba sancti Pauli Apostoli: *Non estis vestri, empti enim estis pretio magno,* scilicet vita et sanguine Dei pro vobis incarnati. *Glorificate* ergo *et portate Deum in corpore vestro* [1]). Quod quomodo exequi debeas vide, et tanquam mancipium Dei eius sanguine emptum ei bene serviendo, bona vita promove tuam salutem.

PUNCTUM V. — Considera, quartum incitamentum ad promovendam tuam salutem esse, quod te Deus, ob tot peccata promeritum poenas inferni, ad eas non detruserit, vel saltem ad poenas purgatorii, si nunquam mortaliter peccasti. Maius enim beneficium est, nunquam passum esse poenas inferni vel purgatorii, ei qui illas promeritus fuit, quam liberari a poenis inferni. Quocirca sicut is, qui nunc liberaretur ex inferno, procul dubio abstineret a peccatis ob quae ad illas poenas fuit detrusus, et praeterea sanctissime viveret, grati animi ergo: ita multo magis tu nunc promovere debes tuam salutem, abstinendo a peccatis, et bene omnia faciendo in obsequium Dei.

[1]) 1. Cor. VI. 19, 20.

Quod autem maius beneficium sit non sensisse poenas inferni, quam ab iis esse liberatum, patet: quia beneficium liberati ab iis poenis esset, carere illis poenis sicut tu hactenus iis caruisti, ideo in hoc par es ei qui liberatus esset ex inferno; at, non esse passum illas poenas, aliud est beneficium, quo caruit ille, qui ab illis esset liberatus; plus ergo tibi Deus praestitit, proinde magis esse debes gratus Deo ob maius beneficium, et illo bene uti ad promovendam tuam salutem.

Meditatio IV.

De vitandis peccatis mortalibus praecipuis salutis nostrae impedimentis.

(Post orationem praeparatoriam).

Punctum I. — Considera, nullum a Deo damnari et detrudi ad aeternas inferni poenas, nisi post certum numerum peccatorum mortalium a peccatore commissum, et ab aeterno a Deo praevisum; qui certus ac determinatus numerus ab eo praevisus, donec compleatur, nullum damnat, ut docent post Leonem papam et sanctum Chrysostomum [1]) et alios Patres, fundati in sacra Scriptura theologi: Cornelius [2]),

[1]) In Genes. hom. xxxvii. [2]) Comm. in Matth. xxiii. 32, 34. et in I. Thess. ii. 16.

Lessius [1]), Iustinianus [2]). Quocirca cum nescias (si peccas mortaliter) quantus sit ille numerus peccatorum mortalium a Deo in te praevisus, quo completo deberes damnari: resolve te toto possibili conatu, ne deinceps ullum prorsus peccatum mortale committas, ne forte primum illud peccatum mortale, quod posthac committeres, sit complementum illius numeri peccatorum praevisi a Deo, ob quem esses damnandus. Pondera hoc diligenter relegendo et ruminando hanc certissimam doctrinam, et consule animae tuae, ne pereas multiplicando nova et nova peccata mortalia; quia si perveneris ad certum eorum numerum a Deo praevisum, damnaberis, et nihil te iuvabit, sicut non iuvit scelestum Antiochum, qui etsi *orabat Dominum*, ut ait sancta Scriptura, tamen ab eo *non erat misericordiam consecuturus* [3]). Pondera hoc, et time, et vita peccata mortalia.

Punctum II. — Considera, tantam esse gravitatem peccatorum mortalium, ut Deus ad persuadendam nobis eorum gravitatem et fugam, loquendo humano more, sua quandoque mutarit decreta et promissiones, suis caris amicis factas sine ulla limitatione; praeterea propter unius hominis mortale peccatum, etiam innocentes et non cooperantes illi, puniverit. Hoc

[1]) De perfec. div. l. xiii. c. 2. [2]) In I. Thess. ii. 16 [3]) II. Machab. ix. 13.

maxime apparuit in furto Achan, qui cum ex rebus a Iosue Deo oblatis furatus esset pallium coccineum et ducentos siclos argenti et regulam auream quinquaginta siclorum, idque solus, nullo penitus conscio, nullo cooperante fecisset, Deus iratus est contra filios Israel universos, et dixit, illos quoque praevaricatos esse *mandatum*, et usurpasse *de anathemate* [1]), et furatos esse, et peccasse. Et hanc ob causam cum Iosue misisset tria millia militum ad expugnandam urbem Hai, percussa sunt a civibus Hai et fugata illa tria milia, et ex eis occisi triginta sex homines; et postea Achan Dei iussu per sortes inventus reus, lapidatus fuit, filii quoque et filiae eius, boves, et asini, et oves, ipsumque tabernaculum, et cuncta supellex eius; et cuncta quae illius erant igne consumpta sunt, etsi solus Achan peccaverit furto illo, et antequam lapidaretur, ostenderit signa poenitentiae, furtumque statim confessus fuerit coram populo universo, dicens: *Vere ego peccavi Domino Deo Israel, et sic feci* [2]). Pondera singula, ut agnoscas unius solius peccatum mortale etiam communitati nocere innocenti, sed maxime hoc pondera, quod Deus ob illud unius peccatum revocarit seu non implerit promissiones suas factas Iosue. Nam promiserat illi sine ulla exceptione haec: *Nullus*

[1]) Ios. vii. 1. [2]) Ibid. 20.

poterit vobis resistere cunctis diebus vitae tuae; sicut fui cum Moyse (qui semper vicit hostes), *ita ero tecum. Non dimittam, nec derelinquam te. Ecce praecipio tibi, confortare, et esto robustus, noli metuere et noli timere, quoniam tecum est Dominus Deus tuus, in omnibus ad quaecunque perrexeris* [1]). Et tamen a civibus Hai tria milia militum Iosue fuerunt victa et fugata, et triginta sex ex eis occisi. Nimirum, quia, ut ait sanctus Chrysostomus, «Deus cum aliqua dare bona pollicetur, indignos autem videt effectos, tunc sua revocat promissa» [2]). Ideo mirum non est, et tempore bellorum, et tempore pestis, multos orantes non exaudiri, sed quam plurimos ab hostibus mactari, et capi etiam innocentes, et peste extingui, quia tot alii concives et commilitones innumeris Deum offendunt peccatis. Quocirca et tu tuis adscribe peccatis tot clades huius Regni, si unus Achan nocuit aliis. Ideo resolve te nunquam peccare mortaliter, ne et regno universo, et saltem tuae familiae noceas, sicut adulterium et homicidium Davidis nocuit innocenti filiolo eius infanti, quem Deus ob patris peccata mori fecit, et licet David et oraret et ieiunaret pro illo, vitam ei aegrotanti impetrare non potuit [3]).

PUNCTUM III. — Considera terribilia Dei verba illa scripta: *Ego sum Dominus Deus tuus,*

---

[1]) Ios. I. 5, 9. [2]) Ad pop. hom. LXXX. [3]) II. Reg. XII. 14.

fortis, zelotes, visitans iniqitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem. Unde sanctus Augustinus hoc ponderans scripsit [1]): «Quam mul-«ta sunt divinarum testimonia Litterarum, quae «parentum peccatis obligant filios, numerare quis «possit? Cur enim peccavit Cham, et in eius filio «Chanaan vindicta prolata est [2]). Cur pro pecca-«to Salomonis filius eius diminutione regni pu-«nitus est [3])? Cur peccatorum Achab regis Israel «in eius posteros poena dilata est?» [4])

Sic ob peccatum Giezi ad posteros eius innocentes lepra transmissa est [5]). Sic ob Pharaonis adulterium in Saram commissum, non tantum Pharaonem flagellavit Deus plagis maximis, sed et domum eius [6]). Et quod mirabilius est, ob solam voluntatem, quam habuit Abimelech coëundi cum Sara, uxore Abraham, punitus est a Deo sterilitate, ipse et uxor eius et omnes ancillae eius [7]). Quamvis, ipso Deo teste et id dicente, in hac re non peccaverit Abimelech, ut ponderat sanctus Chrysostomus [8]), et ignoraverit Saram habere maritum, et tunc permissum fuerit habere plures uxores sine peccato. Haec diligenter ponderans, agnosce quantopere quodvis peccatum mortale sit fugiendum, ne et animae tuae spiritualiter no-

[1]) Contra Iul. pelag. l. VI. c. 25. (Migne XLIV. 827). [2]) Genes. IX. 25. [3]) III. Reg. XII. [4]) III. Reg. XXI. 29. [5]) IV. Reg. c. V. 27. [6]) Genes. XII. 17. [7]) Ibid. XX. 18. [8]) In Gen. hom. XLV.

ceas, et ne sis causa damnorum temporalium tuae familiae et tibi, imo toti regno. Nam praeter exempla allata, ut ait sanctus Basilius: «Per paucos mala aerumnaeque ad universum «populum saepius perveniunt, et unius ob no-«xam tota gens aliquando evertitur» [1]).

Meditatio V.

De vitandis peccatis venialibus.

I. Quia nocent in hac vita.

(Post orationem praeparatoriam).

PUNCTUM I. — Considera, tam grave esse peccatum veniale, etiam unicum, etiam a sancto commissum, ut, ad declarandam eius gravitatem, et quantopere sit vitandum, Deus quandoque multos morte repentina extinxerit, qui non cooperati fuerunt ad illud, et quoad illud vere erant innocentes. Admirabile extat huius rei exemplum in sancto rege Davide, qui cum ex elatione quadam animi iussisset numerari homines sibi subditos, quot essent apti ad bellum: eam solam ob rem, Deus pestilentia extinxit septuaginta millia virorum [2]). Quod ut melius percipias:

Pondera primo, illam elationem seu numerationem populi, non fuisse peccatum mortale,

[1]) Hom. in divites avaros. [2]) II. Reg. XXIV. 15.

sed veniale, quia Deus per duo solum peccata testatus est, a Davide violata esse Dei praecepta, scilicet per homicidium Uriae et per adulterium cum eius uxore commissum; in reliquis vero *Davidem fecisse rectum in oculis Domini, et non declinasse ab omnibus, quae praeceperat ei cunctis diebus vitae suae, excepto sermone Uriae Hethaei* [1]). Ergo illa numeratione populi non peccavit mortaliter, et tamen Deus ob hoc veniale eius peccatum septuaginta millia subditorum eius peste necavit, et tam notabiliter numerum subditorum eius imminuit! Ideo mirum non est, si et regibus et dominis saepe multi subditi peste et bellis extinguantur, quando ob unum peccatum veniale regis sancti, Deo carissimi, quem Deus *virum secundum cor suum* [2]) appellavit, tot ei subditos extinxit. Vide ergo, quantopere vitare debeas quodvis peccatum veniale, ne et tibi et aliis noceas, cum non sis tam Deo carus, uti erat David.

Pondera secundo, hanc numerationem aptorum ad bellum subditorum fuisse necessariam Davidi, sicut est necessaria cuivis regi bella gerenti et ab hostibus infestato, uti perpetuo infestabatur David, etiam postquam ei Deus promiserat (nota hoc diligenter): *Requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis* [3]). Nam post hanc

[1]) III. Reg. xv. 5. [2]) I. Reg. xiii. 14. [3]) II. Reg. vii. 11.

promissionem sibi factam moverunt contra illum bella numerosissimo exercitu instructa hostes eius Philisthaei, Moabitae cum rege Soba, et Syri, et Ammonitae. Et tamen Deus numerationem hanc populi, etsi necessariam Davidi, tot mortibus subditorum punivit, quia fuit contaminata solo peccato veniali, elationis.

Pondera tertio, Saulem, etsi non ita Deo carum, imo postea abiectum a Deo, numerasse similiter populum, et tamen ob hanc numerationem, non fuisse a Deo punitum, imo post eam obtinuisse ex hoste victoriam, sive quia numeravit Saul populum sine ullo peccato in ea commisso, sive ut Deus ostenderet, ceteris paribus, graviora esse peccata deliberate commissa ab iis qui sunt sanctiores vel potentiores et maioribus honoribus ac donis a Deo ornati, sicut erat ornatus David tot Dei favoribus. Certa est enim doctrina theologorum cum sancto Thoma [2]), magnitudinem personae peccantis, aggravare peccatum ex deliberatione procedens; quod etiam Sancti docent: sanctus Caesarius[3]), sanctus Isidorus [4]), sanctus Bernardus [5]), sanctus Gregorius Nazianzenus [6]), et sanctus Chrisostomus [7]). Quo ergo maior es, sive divitiis,

[1]) I. Reg. XI. 11. [2]) I[a]II[ae]. q. LXXII. a. 10, et II[ae]. q. CLXXXVI. a. 10. [3]) Hom. XVIII. [4]) De summ. bono l. II. c. 18. [5]) Consid. l. II. c. 13. [6]) Ad Virg. carmen [7]) Ad pop. hom. LXXVII.

sive honoribus in republica, sive statu perfectiore, eo magis vita peccata venialia, ne et tibi et aliis noceas.

Punctum II. — Considera, unum peccatum veniale mereri, etiam a sancto viro commissum, ut totum regnum veniat in potestatem hostium, etsi sine iusta belli causa bellum gerentium. Stupendum huius rei exemplum habemus in sancta Scriptura, quae narrat, ob ostensos, a sancto rege Ezechia legatis regis Babyloniae, suos thesauros, ita fuisse hac re offensum Deum, ut statim miserit ad eum Isaiam prophetam cum hac praedictione: *Ecce dies venient, et auferentur omnia, quae sunt in domo tua, et quae condiderunt patres tui usque in diem hanc, in Babylonem; non remanebit quidquam ait Dominus. Sed et de filiis tuis, qui egredientur ex te, quos generabis, tollentur et erunt eunuchi in palatio regis Babylonis* [1]). Et ita prorsus evenit. Nam postea Nabuchodonosor rex Babylonis expugnavit Ierusalem, accepit *omnes thesauros domus Domini, et thesauros domus regiae, et conscidit universa vasa aurea, quae fecerat Salomon rex Israël in templo Domini..., et transtulit omnem Ierusalem, et universos principes, et omnes fortes exercitus... in captivitatem, et omnem artificem..., nihilque relictum est, exceptis pauperibus populi terrae. Transtulit quoque Ioachin* Regem Iuda *in Babylonem, et matrem regis, et uxores regis, et eunu-*

[1]) IV. Reg. xx. 17, 18.

chos eius, et iudices terrae duxit in captivitatem de Ierusalem in Babylonem [1]).

In quo facto *pondera primo*, hanc ostensionem thesaurorum factam a rege Ezechia, ut ait bene Salianus, fuisse unum ex minoribus bonorum peccatis [2]). Non fuit ergo peccatum mortale.

Pondera secundo, Ezechiam fuisse regem sanctissimum, cui nemo nostrum par est; sic enim laudatur a Deo in sacra Scriptura: *Fecit quod erat bonum coram Domino, iuxta omnia quae fecerat David pater eius... Post eum non fuit similis ei de cunctis regibus Iuda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt; et adhaesit Domino, et non recessit a vestigiis eius, fecitque mandata eius quae praeceperat Dominus Moysi* (proinde nunquam peccavit mortaliter). *Unde et erat Dominus cum eo, et in cunctis, ad quae procedebat, sapienter se agebat* [3]). Si ergo tam sancti regis unum veniale peccatum adeo nocuit toti regno, tua tot maiora, non nocebunt? non nocuerunt hactenus per tot clades regni? Agnosce ergo quantopere sint etiam venialia peccata a te vitanda. Noli ergo ea parvi facere.

Pondera tertio, tam bonae conscientiae fuisse regem Ezechiam et tam eminentis virtutis, ut, eam ex Dei dono in se cognoscens, ausus fue-

[1]) IV. Reg. XXIV. 13—15. [2]) Annal. Eccl. V. T. ann. mundi 3324 n. 32. [3]) IV. Reg. XVIII. 3—7.

rit Deo ipsi dicere: *Obsecro Domine, memento quaeso, quomodo ambulaverim coram te in veritate, et in corde perfecto, et quod placitum est coram te fecerim* [1]). Potesne tu talia de te dicere Deo? Si ergo talis regis, unum peccatum veniale suo regno et suis posteris nocuit, vide an idem tibi timendum non sit; proinde vita peccata venialia.

Pondera quarto, in tanta gratia fuisse apud Deum hunc regem sanctum, ut ob brevissimas preces eius Deus mutaverit suum decretum ei per Isaiam prophetam annuntiatum de eo tunc morituro. Nam non est tunc mortuus, etsi moriturum eum Deus per Isaiam praedixerit [2]), imo addidit ei quindecim annos vitae, et in signum huius rei fecit, ut sol retrocesserit in sua substantia (non in solis radiis vel umbra in horologio) retro ad decem gradus, ut dicunt sancti Patres: Dionysius [3]), Origines [4]), Nazianzenus [5]), Hieronimus [6]), Augustinus [7]), et expresse Isaias propheta [8]). Et alia vice, brevi oratione impetravit a Deo, ut Angelus una nocte in castris Assyriorum occiderit ex hostibus eius centum octoginta quinque millia Assyriorum [9]). Si ergo unum peccatum

[1]) IV. Reg. xx. 3. [2]) Ibid. 1. [3]) Ep. ad Polyc. [4]) Hom. 30 in Matth. [5]) Orat. xix. [6]) In c. vii. et xxxviii. Isai. [7]) De civit. l. i. c. 8. [8]) Isai. xxxviii. 8. [9]) IV. Reg. xix. 35.

veniale regis tam sancti, tam Deo cari, toti regno et posteris eius nocuit, quid putas mereri tua peccata, qui tam carus Deo non es uti ille fuit? Ideo deinceps tanquam ab igne, et tanquam a facie colubri, fuge quodvis veniale peccatum, ne unquam ullum plena deliberatione committas.

Meditatio VI.

De vitandis peccatis venialibus.

2. Quia nocent post mortem.

(Post orationem praeparatoriam.)

PUNCTUM I. — Considera nullum mortalium etiamsi esset tam sactus uti fuit Beatissima Virgo Maria, intrare posse in coelum, si vel unicum peccatum veniale habeat in anima sua, non remissum in hac vita quoad culpam, vel, si remissum esset, non expiatum quoad obligationem poenae; quia in coelum nihil *coinquinatum* [1]) potest intrare. Omnes enim qui in coelo sunt, *sine macula sunt ante thronum Dei* [2]). Quam exclusionem a coelo anima, etiamsi nihil pateretur in purgatorio, sentit cum inexplicabili dolore et afflictione, maiore quam sentires, si te rex iuberet publice, tota civitate spectante,

[1]) Apoc. xx. 27. [2]) Apoc. xiv. 5.

excedere ex sua curia, vel expelleret e loco audientiae, tunc dum illam velles habere, habens magnam necessitatem eum alloquendi. Quocirca, sicut abstineres a quovis peccato veniali, si ob illud commissum certo scires te non admissum iri ad palatium regis idque toto populo et proceribus regni spectantibus: ita multo magis debes abstinere a peccatis venialibus deliberate commissis, ne post mortem arcearis a sanctis Angelis ab ingressu in regiam coelestem, et ad conspectum Dei; nisi pluris facias conspectum regis quam Dei. Quando senex Tobias factus caecus, audivit sibi dici ab Angelo: *Gaudium tibi sit semper*, respondit: *Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen coeli non video*[1]): atqui magis desiderabunt animae mortuorum videre laetam faciem Dei, quam desiderent caeci videre lumen solis. Ne ergo post mortem sentias magnos moerores et dolores ob negatum tibi Dei conspectum, fuge nunc peccata venialia, et commissa expia quamprimum, ne arcearis a videndo Deo post mortem.

Punctum II. — Considera, ob peccata venialia in hac vita non expiata, multos pati in purgatorio poenas acerbiores quam passus sit Christus Dominus in hac vita, ut docet sanctus Thomas, et maiores quam fuerint omnium

[1]) Tob. v. 11, 12.

Martyrum tormenta, et omnium scelestissimorum latronum supplicia, ut dicunt sancti: Augustinus [1]), Caesarius [2]), Anselmus [3]), Gregorius papa [4]), Beda [5]). Imo sanctus Thomas dicit minimam poenam purgatorii, maiorem esse maxima poena huius vitae [6]). Et auctor antiquus apud sanctum Augustinum [7]) scribit, audivisse se a quodam resuscitato, per saccum sancti Hieronymi: «Omnia tormenta huius vitae com-«parata minimae poenae purgatorii, sunt solatia. «Mallet enim quilibet viventium, omnes quae hic «videntur poenae, et tormenta, si illas experien-«tia nosceret poenas, usque ad finem mundi, «omnibus his simul sine remedio cruciari poe-«nis, quas omnes homines ab Adam hucusque «singillatim pertulerunt, quam una die in in-«ferno, sive in purgatorio, minori quae illic «habetur poena torqueri». Et Christus Dominus dixit sanctae Birgittae de quodam ad purgatorium ituro: «sic in purgatorio amarum «habebit anima eius supplicium, quod nullus «mortalis est, qui possit illud cogitare» [8]). Et tandem sic concludit Christus Dominus: «Quid «ergo patientur illi, qui omnem voluntatem

[1]) In Psalm. XXXVII; et Lib. de cura pro mort. c. VIII. [2]) Hom. VIII. [3]) In I. Cor. III. [4]) In Psalm. III. poenit. [5]) In Psalm. XXXVII. 1. [6]) Opusc. 63. (De beatitud.) c. 2; et III[a]. q. XLVI. a. 6. ad 1. et ad 3; et in IV. d. 21. q. 1. a. 1. quaestiunc. 3. [7]) Epist. XIX. appendicis tomi II. (Migne l. XXXIII. col. 1129). [8]) Rev. l. VI. c. 2.

«suam habent in mundo, et nullis tribulationi-«bus fatigantur?» Beata Maria Magdalena de Pazzis in extasi existens, dixit: «Omnia tor-«menta, quae passi sunt sancti Martyres, sunt «tanquam amoenus hortus, respectu eorum, «quae infliguntur in purgatorio» [1]). Quocirca si certi essemus, nos ob unum peccatum veniale deliberate commissum, comburendos in foro a carnifice, spectante tota civitate, omnino abstineremus ab illo: ita cum maior sit ignis purgatorii quam huius vitae, et a diabolis in eo quandoque torqueantur animae, Deo spectante et Sanctis, ob unum etiam peccatum veniale levissimum, fugiendum est, quantum fieri potest cum Divina gratia. Torqueri autem a diabolis eas, non semper sed quandoque, constat [2]).

Punctum III. — Considera, paucissimos iustos in adulta aetate morientes, recta ire ad coelum, sine sensibilibus poenis ignis purgatorii, ut patet ex historiis ecclesiasticis, et docet Bellarminus: «Vix, inquit, ulli iusti homines,

---

[1]) 2. par. vit. c. 13. [2]) Ex Revel. sanctae *Birgitt.* c. 7. et 8.; ex S. *Gregorio* papa l. 4. dial. c. 36.; ex *Beda* lib. 3. hist. Angl. 1. cap. 19. et lib. 5. hist. c. 13.; ex S. *Gertrude* lib. 4. c. 27. Insinuat. divinae piet.; ex S. *Bernardi* vita lib. 4. c. 10.; e *Baronio* tom. 8. Anno 647.; e *Cantiprat.* lib. 2. Apum c. 51.; e *Dion. Carthus.* de. 4. noviss. de iudic. partic. art. 11.; ex *Antonino* lib. 4. hist. c. 34.

«nisi ex magna misericordia Dei, poenam purgatorii acerbissimam evadunt, ita, ut recta ex «corpore ad coelum evolent» [1]). Ideo tanto maiori conatu abstine a peccatis venialibus, tanquam causis tantarum poenarum.

Meditatio VII.

De modis evadendi poenas purgatorii.

(Post orationem praeparatoriam.)

PUNCTUM I. — Cum ob sola peccata in hac vita non plene a iustis expiata, animae ad purgatorium a iusto iudice Deo mittantur, conare, ut quam minime et quam rarissime pecces, et peccata commissa statim quoad culpam aboleas Confessione sacramentali; per hanc enim certius vi Sacramenti abolentur, quam per contritionem vel dolorem aut amorem Dei, de quo nullus nostrum certus esse potest (citra revelationem) an sit tantus et talis, qualis esse debet ex parte nostra, ut aboleat commissum peccatum.

PUNCTUM II. — Considera et adhibe hos modos securos et certos satisfaciendi pro peccatis per confessionem remissis, et evadendi penitus poenas purgatorii, vel omnino omnes, vel saltem sensibiles illas, quae per ignem pur-

[1]) De amiss. grat. l. I. c. 13. in fine.

gatorii infliguntur. Nam quaedam sanctiores et puriores animae sola carentia visionis Dei in purgatorio torquentur, nullam autem sensibilem aliam ab igne illo poenam sentiunt, ut patet ex historiis ecclesiasticis, et docet Bellarminus [1]) et alii supra citati, in fine secundi puncti.

Primus modus satisfaciendi pro peccatis quoad culpam remissis est, patienter ferre adversitates a Deo immissas vel permissas, uti sunt: mortes sanguine iunctorum, damna rerum mobilium, et variae persecutiones et iniuriae, sive verbis sive factis illatae, quae solae, si multae sint et magnae, sufficiunt ad animam iusti recta deducendam ad coelum, uti contigit animae Angeli Paz viri sancti, Franciscani sacerdotis, de quo post mortem certo rescitum est, ivisse ad coelum sine purgatorio, quia multa passus erat a suis quibusdam malis fratribus, praesertim ab uno. Per hanc viam procul dubio sanctus Iob purgatorium non sensit, quia tot calamitates patienter toleravit, et postea sancte vixit.

Secundus modus est, explere poenitentias a confessario iniunctas, quae, quo sunt maiores, eo citius abolent poenas. Ideo aequo animo ferendum est, si aliquando etiam indiscretus aliquis (uti contingit) confessarius, graves poe-

[1]) Lib. II. de purgatorio c. 6. 14. c. 1. magis c. 7.

nitentias iniungat, nunquam enim erunt tam graves, uti sunt poenae purgatori.

Tertius modus est: poenae voluntarie susceptae, uti sunt ieiunia, disciplinae, cubationes in nudis asseribus, toleratio frigoris, vel caloris, eo fine suscepta, morsus pulicum, culicum, muscarum ad hunc finem toleratus, et similia alia carnem affligentia, eo fine adhibita, ut pro peccatis commissis satisfiat Deo.

Quartus modus est: frequens et fervens oratio, praesertim devota Missae auditio. Idcirco statue certas aliquas quotidie habere orationes, mane praesertim antequam inchoes negotia, deinde vesperi antequam cubitum eas. Exempli gratia: recitare quotidie officium Beatissimae Virginis, dicere eius coronam, vel breves multas coronulas, recitare litanias Sanctorum et de Beatissima Virgine.

Quintus modus est: uti indulgentiis, sed is minus est certus, quia ut docent theologi et Platus [1]), praeter potestatem quam Deus dedit Romano Pontifici ad concedendas indulgentias, et concessionem earum, alia requiruntur ad consequendum effectum illarum, dependentia ab hominibus, ob quorum defectum saepe a Deo non acceptantur; ut patet ex historiis variis fide dignis, mortuorum post executionem rerum

[1]) De bono status religiosi l. 1.

in indulgentiis assignatorum, tamen diu post mortem in purgatorio detentorum.

Sextus modus est, usus frequens et devotus Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae, quae etsi possit omnes poenas abolere, tamen ut docet sanctus Thomas «non omnes abolet, «sed iuxta quantitatem devotionis, et fervoris «cum quo Eucharistia sumitur, vel ut Sacrifi-«ciúm pro aliis offertur» [1]).

Septimus modus et omnium commodissimus evadendi poenas purgatorii est, quotidie multa bona opera facere ab aliquem finem supernaturalem; quia, ut docet sanctum concilium Tridentinum [2]) «praeter orationem, ieiunium, et «eleemosynam etiam alia opera pietatis satis-«factoria sunt pro poenis». Quocirca si iustus opera ordinaria quae facit, etiam commestionem, ambulationem, recreationem, somnum, denique omnia, solo peccato excepto, faceret ob finem supernaturalem, incredibiliter minueret poenas, in purgatorio vel in hac vita luendas. Et hunc modum beata Maria Magdalena de Pazzis commendabat suis monialibus, tanquam aptum ad evadendas poenas purgatorii [3]). Imo hic modus est, per quem possumus locum in coelo attingere altissimum, Divino throno proximum.

---

[1]) III^{a}. q. LXXIX. a. 3. [2]) Sess. 4. c. 13. [3]) Caesar. in vita c. 44.

Octavus modus pro divitibus est: eleemosynarum elargitio. Quoniam ut dicitur: *Eleemosyna ab omni peccato... liberat, et non patietur animam ire ad tenebras* [1]). Ideo Daniel propheta suadebat Nabuchodonosori: *Peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordiis pauperum* [2]). Eleemosyna enim, ut dixit angelus Raphael Tobiae, *purgat peccata et facit invenire misericordiam et vitam aeternam* [3]), usque adeo ut sanctus Thomas [4]) cum aliis [5]) doceat: «eleemosy-«nam plus esse satisfactoriam pro peccatis, «quam ieiunium et orationem». Divites ergo facilius possunt evadere poenas purgatorii dando eleemosynas, quae ceteris paribus magis Deo placent, si dentur personis Deo magis caris, et maiore necessitate pressis, uti sunt cives honesti qui erubescunt mendicare, et Dei cultum magis promoventibus. Delibera ergo tecum, quomodo modis supradictis uti debeas, ne post mortem ullas purgatorii poenas patiaris, et quod pro liberando te a doloribus colicis vel podagrae faceres, fac eodem conatu pro anima tua, ab illius ignibus praeservanda.

[1]) Tob. IV. 11. [2]) Dan. IV. 24. [3]) Tob. XII. 9. [4]) In 4. d. 15. art. 2. quaest. 2. [5]) *Medina* cap. De eleem. q. 2; *Pal.* in. 4. d. 15. q. 3. art. 1. concl. 2.

Meditatio VIII.

De vita recte instituenda a regni proceribus.

Punctum I. — Considera quomodo deinceps te gerere debeas, circa fugam peccatorum et occasionum, per quas ad illa antea delabebaris; revocatis in memoriam iis, quae hactenus in hac collectione agnovisti tibi esse facienda; et scripto annotata, interdum tibi relegendo, quomodo te debeas gerere quoad vitanda peccata et occasiones eorum.

Punctum II. — Considera et scripto annota, quomodo deinceps debeas te erga Deum gerere: quoad frequentiam Sacramentorum, et privatas orationes ac devotiones, et auditionem concionum, ac visitationem templorum.

Punctum III. — Considera in quos defectus labebaris hactenus in conversatione cum domesticis, cum uxore si illam habes, et cum famulis; et annota fugiendos defectus.

Punctum IV. — Considera, an bene tractaveris tuos subditos, sive cives, sive rusticos; et si quid sit emendandum, emenda.

Punctum V. — Considera officium publicum si geris aliquod, an in eo contra charitatem vel iustitiam deliqueris; et quid deinceps in eo vel vitandum vel faciendum esse agno-

veris, statue apud te, et scripto annota memoriae causa.

PUNCTUM VI. — Considera an tui domestici et subditi faciant id, quod debent vel Deo vel Ecclesiae, circa frequentationem ad eas, circa usum Sacramentorum, circa solutionem decimarum, circa administrationem iustitiae, et circa alia; et efficaciter illos adige, ut praestent quod debent. Statue vero, ut saltem quolibet mense, famuli et ancillae tuae confiteantur et communicent, assignando pro hac re illis instar legis, ut id faciant, vel prima Dominica cuiusvis mensis, vel in praecipuo festo illius mensis. Nam et de hoc patresfamilias reddent rationem Deo in die iudicii.

PUNCTUM VII. — Considera, quae proposuisti facere vel vitare, vel corrigere; manifesta dirigenti te Patri in excertiis, et cum eo confer; ita maiore luce accepta ab eo, solidius et melius exequeris bona proposita facta in hac collectione.

PUNCTUM VIII. — Praecipua proposita, maxime quae concernunt fugam peccatorum mortalium, aut molestiarum antea aliis, sive domesticis sive extraneis adferri a te aut a quopiam alio tibi subiecto solitarum, quotidie renova in Sacro post elevationem Sanctissimi Sacramenti; et offer Divinae Maiestati in unione meritorum Christi Domini, et in unione illius quod audis Sacrificii; peteque a Domino gra-

tiam illa exequendi; et si aliquid non es executus, vehementer dole, confundere, humilia te, incusa tuam infidelitatem in servandis promissis, seu propositis Deo factis; veniam pete, ut tibi Deus condonet, confessione quam primum expia, et cautius vivere stude; ac pro his omnibus a Beatissima Virgine Maria, ab Angelo tuo custode, a Patronis tuis particularibus, denique ab omnibus prorsus Sanctis, qui sunt in coelo pete intercessiones apud Divinam Maiestatem pro te, ut semper bona proposita exequaris, et de bono in melius proficias iuxta incrementum aetatis.

MONITA DATA CUIDAM COMITI BOHEMO PETENTI, ANNO 1642.

Cum Illustrissima Dominatio Vestra pro sua spirituali directione et sui similium petierit aliqua monita, iuxta quae possit placere Deo et hominibus, et in aula Augustissimi Imperatoris christiane vivere et salvari, ac aeternae damnationis discrimen evadere: haec Illustrissimae Dominationi Vestre commendo, et eius similibus, valde profutura.

I. — Nunquam peccet mortaliter, ne quidem cogitatione, tum propter alia motiva, quae saepe Illustrissima Dominatio Vestra audivit a concionatoribus, et legit in libris piis, tum maxime, quia quodlibet peccatum mortale, quod homines committunt, est iusta causa vehementer timendi, ne forte sit illud, post quod commissum, Deus ab aeterno praesciverit, hominem esse ob suam culpam damnandum, et illum ob eius culpam damnationi aeternae destinaverit. Nec enim Deus casu, et temere damnat, quos damnat, sed hos damnat propter pauciora, alios propter plura peccata ab eo praevisa, quae

vitare poterat, si voluisset cooperari gratiae Dei omnibus a Deo oblatae.

Quando ergo completur malitia peccatorum per ultimum peccatum mortale, a Deo praevisum, et ne committeretur, a Deo in conscientia praemonitum: tunc executio fit damnationis aeternae, non quidem statim, sed prout Deo videtur, quandoque post multa alia peccata mortalia adiuncta; expectante interim Domino Deo conversionem et poenitentiam peccatoris, qui semper habet tempus poenitentiae: quia Dominus Deus stat ad ostium et pulsat, ut ait sanctus Ioannes [1]), et per eum Spiritus Sanctus; et ut dixit praeclare celebris Orosius Cordubensis in Ecclesiastica Historia, Deus «non tantum omnibus, sed et singulis «offert gratiae suae auxilia, pro singulis tempo«rum momentis».

II. — Si contingat, ut peccatum aliquod mortale committat, eo ipso die illud confiteatur. Cur? *Primo*, quia fieri potest, ut illo die moriatur, vel morte subitanea vel violenta et casuali. Quod si fieret, damneretur, nisi praemisisset confessionem vel actum contritionis. *Secundo*, quia ii, qui post peccatum mortale commissum statim illud confitentur, non sunt eorum e numero, de quibus dixi in primo monito; et tales peccatores Dominus Deus volens

[1]) Apoc. III. 20.

salvare, excitat, ut statim confiteantur, et ponant se in statu salutis. Ideo valde bene faciunt illi proceres, qui semper habent in suo comitatu sacerdotes, et domi, et in itineribus, ut si opus sit, ab iis absolvantur.

III. — Quia in aula Augustissimi Imperatoris multi sunt proceres egregii, qui habent quidem magnam spem in misericordia Dei, sed media non quaerunt salutis ita oportune uti deberent: suadeo Illustrissimae Dominationi Vestrae, ut voto se obliget ad confitendum peccatum mortale, si illud (quod absit) committeret (nunc enim illud, Deo laus, non committit, sed illud horret) illo ipso die.

IV. — Quia multi non explent vota Deo facta: simul cum voto praeterito adiungat alterum votum eo die quo non confessus est, cum potuerit, peccatum illud vel plura, dandi eleemosynam pauperibus in nosocomio iacentibus, et quidem grandem, ut saltem hoc motivo, quod apud multos efficacius est, inducatur ad confessionem eodem die naturali, quo aliquod peccatum mortale commisit.

V. — Pro confessionibus peccatorum mortalium eligat confessarios, quos scit esse valde doctos, et eleemosynas ab Illustrissima Dominatione Vestra non expectaturos, et quos scit sincere dicere quae debent dici, sine respectu dignitatum et officiorum in republica magnorum. Quia mihi certo constat, etiam doctos

confessarios spe eleemosynae absolvere solitos eos qui erant et sunt incapaces absolutionis, vel propter concubinas domi retentas, vel propter usuras praetextu Wyderkauff [1]) palliatas; vel propter non factas restitutiones famae, et pecuniarum, ac similium damnorum; vel propter tutelam pupillorum, sub spe condonationis eorum, precibus violentis extortae: quae in conscientia non prodest, nec tollit obligationem restitutionis, uti docent sacri Canones et theologi omnes.

VI. — Pluris faciat meditationem rerum piarum, quam multas preces et orationes vocales, ex privata devotione susceptas. Quia meditatio rerum divinarum per pias considerationes, sed praecipue per motam iis voluntatem ad fugam peccatorum particularium, et ad amorem operum bonorum in particulari, hominem Dei beneficio reddit in quovis statu valde pium et bonum. Nam ut ait sanctus Bernardus [2]) et quotidiana docet experientia: «Consideratio «mentem, de qua oritur, purificat», excitando dolorem de peccatis animam foedantibus, et ostendendo eorum turpitudinem; «deinde regit «affectus», ne homo quidquam faciat, et dicat, ex passione vel irae, vel odii, vel inordinati amoris aut alio simili pravo affectu; «dirigit «actus», ut omnia fiant cum decore et debito

[1]) Genus usurae. (Nota. ed.) [2]) De Consid. l. 1. c. 7.

modo; «corrigit excessus, componit mores, vi-«tam honestat et ordinat. Haec est, quae ape-«rienda praeordinat», in senatu, in iudiciorum loco, domi, foris, ne quid ex impetu naturae inconsiderate fiat; «acta recogitat, ut nihil in «mente resideat incorrectum, aut correctione «egens».

VII. — Curet, ut domestici famuli, praesertim infimi, quolibet die festo Sacrum audiant, et singulis mensibus confiteantur et communicent. Et ut id fiat, constituat certum famulum bonae conscientiae, qui huic rei attendat, et, an servetur, referat. Eandem ob causam, nisi gravis urgeat necessitas, diebus festis nec iter faciat, nec famulos alio mittat, tum ut servetur ad literam Dei praeceptum de festis sanctificandis, tum ne occasione itineris, aliqui famuli Missam audire non possint.

VIII. — Diligentissime caveat, ne subditis ulla prorsus onera imponat, ad quae ex prima eorum institutione non fuerunt obligati: sive ea sint in suscipiendis itineribus ad vehendas vel ferendas res aliquas, sive in laboribus domi vel in agris, sive in alendis canibus vel catulis, sive in contributionibus ad domini adventum conferri nullo iure solitis, sive aliis modis. Quia quodlibet tale onus, ad quod non sunt obligati rustici ex prima eorum erectione, si sit aestimabile pretio unius ducati aurei, inducit peccatum mortale Domino, eumque

obligat ad restitutionem, quam nisi faciat, si scit et potest, uti potest, damnabitur in aeternum.

IX. — Eos, qui recurrunt cum libellis supplicibus, petentes aliquam gratiam, vel qui ferunt literas ab aliis dominis responso indigentes, facile admittat et non detineat, sed quamprimum potest expediat modo decenti et debito. Nam si ob moram culpabilem illi miselli interim cogantur pro suo vel equi victu plus expendere, expectando responsum, dominus non erit sine culpa. Idem dico de sententia in iudiciis ferenda, et de rebus controversis iudicandis, ne iudicia et sententiae seu decreta iudiciaria differantur sine gravi necessitate. Alioqui litigantibus magna fit iniuria, obligans ad restitutionem et satisfactionem damnorum, quae incurrent litigantes, expectando litis decisionem, sine iusta dilationis causa.

X. — Nullum accusatum etiam sola mente condemnet, multo minus verbo vel castigatione, nisi prius placide audiat accusati defensionem; quam ut ille sine metu adferat, non indicet ulli mortalium, se esse iratum accusato. Ita enim accusatus, prae metu, non tam bene se defendet. Ideo sciatur ab omnibus Illustrissimam Dominationem Vestram parti accusatae alteram aurem, idque semper, servare. Experientia enim quotidiana docet, etiam a viris bonis sed deceptis, vel ab aliis, vel a facili

credulitate naturae, profectas accusationes, etsi viderentur valde probabiles, fuisse et esse valde falsas.

XI. — Det operam, ut ex reditibus quos percipit ex suis dominiis, praeter sumptus et expensas pro suis et suorum alimentis ac stipendiis, et certam quotam annuatim deponendam pro adversis casibus, si qui acciderent, quod absit, reliquum convertat pro aeternitate, hoc est, pro piis operibus quorum beneficio et plurima congregabit merita coram Deo, et in gratia eius valde crescet, et magnas in coelo coronas suo tempore recipiet, et felicem rebus suis successum impetrabit a Deo, et post mortem poenas purgatorii vel omnes, vel maxima ex parte evadet, iuxta quantitatem eleemosynarum, ad pia opera conversarum. Ne autem hac in re gravi erret, certo sciat, magis Deo placere et animae utiliores longe esse illas eleemosynas, quae convertuntur ad fundanda vel augenda, vel ornanda templa viva, hoc est, homines, quam quae expenduntur pro templis mortuis. Templa enim viva, sunt membra Christi, pro quibus Christus suum sanguinem fudit, non sic fabricae piae et supellex earum. Ideo sancti Patres docent, pro auxilio captivorum et similium, etiam sacros calices posse comminui et vendi. Et quo fuerint melioris vitae templa viva, uti sunt religiosi, ceteris paribus, maioris meriti sunt illis col-

latae eleemosynae, quia sunt Deo illae personae cariores, quam mendici vagabundi, ut plurimum potationibus secretis et rixis dediti, vix aliquando Sacrum diebus festis audientes.

XII. — Cum christianos deceat esse meliores ethnicis, et turpissimum sit virtutibus ab iis superari: exempla virtutum ab ethnicis edita, quae legendo eorum historias observabit, conetur modis omnibus Deo adiuvante in suis exprimere moribus, imo etiam praestantiora edere. Exempli gratia Scipio Romanus capta Hispanica Carthagine, ne quidem in conspectum suum adduci passus est captivas puellas, eximiae pulchritudinis, «ne quid de «virginitatis integritate saltem oculis deli«basse videretur». Ut enim bene scripsit Apuleius: «Venus saltat oculis», hoc est, tam facile coniungitur «aspectus foeminae cum illius ve«nerea concupiscentia, quam facile est aulicis «aliisque ad lyrae sonum saltare». Sic Augustus irasci pene nunquam visus est, postquam hoc a Maecenate monitum audivit: «Iniquum «est ea velle aegre ferre, quae si vera sunt, «praestat non admisisse, sin falsa, dissimulare». Philippus rex Macedonum, cum ex Atheniensium legatis quaesivisset, quid posset facere, quod foret Atheniensibus gratum, et Democharres ei dixisset: «Te suspendere», exorta licet repente indignatione circumstantium ad tam

indignum responsum, Philippus iussit quiescere, et legatum illum adeo impudentum dimittere incolumem. Sunt et aliae eximiae virtutes ethnicorum saltem in externa specie valde laudabiles, quae imitationem merentur christianorum, ne in iudicii die hanc quoque ob causam confundantur, quod ethnicis similia facinora non ediderint.

XIII. — Habeat aliquem gravem virum, sed non famulum, et Dei timore praeditum ac ab assentationibus liberum, a quo obnixe petat, ut quovis mense ei referat tria: 1°, quid de illo dicant homines vituperatorie; 2°, quid de eius famulis et modo vivendi famulorum in arce et extra arcem; 3°, quomodo tractentur in pagis rustici a capitaneis et aliis officialibus eius. Et non indicata persona, quae aliquid tale retulit, debita remedia adhibeat.

XIV. — Quamvis sit in statu matrimonii, si non vult Sanctissimam Eucharistiam octavo quoque die sumere (quod omnino potest, certo modo, quem oretenus dixi), saltem confiteatur una cum Illustrissima, et Prole adulta, ad percipiendos illos fructus, quos ex catechismo scit provenire ex usu bono et frequenti horum Sacramentorum. Ideo in primitiva Ecclesia communicabant quotidie, etiam in matrimonio constituti, et erat hac de re Ecclesiae decretum, id ut facerent.

XV. — Commendo Illustrissimae Dominationi Vestrae usum brevis coronulae a me descriptum [1]), et, ut alios ad idem faciendum suaviter adducat, rogo. Multum conciliabit sibi gratiae apud Deum hac devotione, etiam ad alios dilatata.

XVI. — Quando sola est, nec ulla re occupata est, sed habet tempus pro otiando aptum, loco otii deambulet (ob sanitatem corporis) et singulos passus Deo offerat, saltem mente dicendo: Propter te Domine. Ita tot merita acquiret, quod passus faciet, et tot particulas poenarum in purgatorio luendarum abolebit. Causam dicam oretenus, nam nolo esse longior hic. Imo et choreas honestas ducendo, ad singulos pedum motus, si eos Deo offerat, merebitur; uno verbo, in quavis actione, quae peccatum non sit. Hoc Apostolus Paulus commendavit dicens: *Sive... manducatis, sive bibitis, sive aliud quid,* id est quodcunque, *facitis, omnia in gloriam Dei facite* [2]). Et ita sanctus Chrysostomus: «Etiam a levissimis rebus et vilissimis», uti est alearum vel chartarum lusus, «maximas «utilitates capiemus, si propter Deum ipsum «eas faciamus. Quid enim est tonsione crinium «vilius? hoc tamen licet propter Deum facere. «Sed et ad imos usque calceos demittere hunc «morem licet. Licebit ergo et calceis ipsis

---

[1]) Vide opusc. XI. cap. XXX. [2]) I. Cor. X. 31.

«propter Deum uti; si uxorem duxerimus, «propter Deum hoc faciamus; licet vobis sin-«gula quae fiunt aut geruntur percurrere, et «omnia propter Deum facere» [1]). Haec sanctus Chrysostomus, magnus sanctae Ecclesiae doctor.

[1]) Oratio Kalendis habita.

INDEX RERUM,

QUAE IN HOC SECUNDO TOMO CONTINENTUR.

ABNEGATIO sui ipsius et quartum votum. pag. 111. punctum 4. De eadem re. 218. De abnegatione universi sensuali amoris 224. et seq. De abnegatione iudicii 239.

Actiones nostrae quales esse debeant. 157. p. 3. (Vide etiam «Finis»).

Adalberti sancti virtutes. 36. p. 4.

Adversarii non deerint sancte viventi. 73. p. 3. *Quia de mundo non* sumus, *propterea odit* nos *mundus*. 82. p. 2. Duo adversarii nostri. 195. p. 4.

Adversitates promovent nostram salutem. 191. p. 3. Liberant a purgatorio. 313.

Affectus pii sancti Thomae vulnera Christi aspicientis. 20. p. 4. Affectus Christi in instanti incartionis. 34. p. 4. De octo obiectis nostri affectus 264. et seq.

Affligentes amandi. 91. De afflictione corporis. 225. (Vide etiam «Mortificatio»).

Aloysii sancti encomium. 40.

Alphabeti spiritualis prima litera. 260. p. 1.

Altiora nobis sunt appetenda. 263. p. 3.

Amici nostri quales sint. 268. p. 1.

AMOR Dei et proximi in tribus Martyribus Iaponensibus. 24. p. 2. Amor Christi erga nos. 35. p. 1. Item aliud exemplum. 38. p. 4. De amore Dei erga nostram animam, et de nostro vicissim. 89. p. 3. De amore erga Deum. 98, 264. Amor Dei est fundamentum perfectionis. 140. De voluntate Dei salvifica ex amore fluente. 188, 198—204. De profectu in amore Dei. 274.

De amore Ecclesiae. 267. p. 1, 2. Item erga Superiores. 96., 100., 267. p. 3. Amor proximorum in Maria. 46. p. 2, 3. De praecepto amoris proximorum. 82. p. 1.; 142. Amoris erga proximos incitamentum et tres affectus. 94., 268. p. 4. De renovatione amoris erga animam. 87. Obiectum amoris nostri quid debeat esse. 119., 268. Amor inimicorum commendatur. 91. Amori proprio mori debeamus. 127. De amore sensuali. 224.

ANGELI sunt nostri custodes, defensores, et duces. 75. p. 4. et seq. Quam sint humiles. 77. p. 2. De triplici eorum custodia. Ibid. p. 3. De affectu eorum erga nos. 78. p. 4.

ANIMAE Beatissimae Virginis Mariae pulchritudo. 18. p. 3. Affectus Coelicolarum eam spectantium. Ibid. p. 4. Animam nostram amare debemus. 87. De praestantia eius. Ibid. Quomodo Deus eam amat. 89. p. 3. Virtutibus decorata esse debet. 158. De animae puritate renovanda. 176. p. 2.

ANNAE sanctae maiestas; obligationes erga eam; et eius auctoritas. 53.

ARDOR in oratione sancti Xaverii. 15. p. 3.

ATTENTIO et diligentia in actionibus. 152. p. 4.

AUCTORITATE mundana quomodo uti debeamus, docet exemplum sancti Sebastiani. 20. p. 1.

AUXILIO Dei destitui quid est. 19. p. 1. Quod socios nostros iuvare debeamus. 95. p. 4.

BARTHOLOMEI S. zelus, martyrium, gloria. 59.
BENIGNITAS Dei erga peccatores. 20. p. 3. Christus ipse nobis praeparat locum in coelis. 37. p. 3. Deus etiam pessimis daturus est Angelum ustodem. 76. Benignos nos esse Deus iubet, et viri sancti monent. 93. p. 4. Deus non excludit e numero electorum eos, qui ex ignorantia non expiant mortalia. 202. p. 4.
CERTAMEN cum peccato vita nostra sit. 73. p. 4.
CASTITATEM qualem exigat S. P. Ignatius. 56. p. 2. De amore erga eam. 106., 110. p. 2. Cur debemus esse casti. 243. p. 1.
CAUTELA sancti Xaverii in vitandis vitae spirituali nocentibus. 15. p. 4. Beatissima Virgo etiam Angelo noluit assentiri, ne virginitati quidquam accideret adversi. 34. p. 3.
CELLA nostra non facile deserenda. 231. p. 2. Habitare in locis vilibus cupere, exemplo Christi, debemus. 251. et seq.
COGNOSCERE Christum necessarium est cuique. 36. p. 4. De maiori cognitione Dei 241. Qualis cognitio nobis procuranda sit. 278.
COLLECTIONIS magnatum quinque fines. 280.
CONCIONUM valor in salute consequenda. 190. p. 2.
CONCURSU Dei quomodo uti debeamus. 242. p. 4.
CONFRATRES spirituales quomodo amandi. 268. p. 4.
CONFUSIONEM quantam Christus toleraverit 133. Cur nobis quaerenda est. 134.
CONSCIENTIAE bonae fructus est securitas vitae et mortis. 6. p. 3. Bona conscientia sancti Stanislai. 39. p. 3. Est signum praedestinationis. 184.
CONSOLATIONE ac defensione privavit se Christus, ut nostram desertionem dulciorem faceret. 254. p. 3.
CONTEMPTUS rerum omnium in tribus Martyribus Iaponensibus. 24. p. 2. Contemptus mundi ducit

ad Religionem. 79. p. 2. Est inter essentialia nostrae Societatis. 102. p. 4.

CONTRISTATIO proximorum prohibetur. 94. p. 2.

CONVERSATIO nostra cum hominibus qualis esse debeat. 115., 231. p. 3., 257. p. 3.

CONVERSIONIS tempus nondum est elapsum. 14. p. 1. Conversio est signum electionis. 205. p. 1.

CORDIS Iesu Sanctissimi dulcedo ostenditur. 51. p. 4.

CORPORIS Christi vis sanatoria. 64. p. 1. Corpus illud tam saepe a nobis receptum vocat nos ad sanctitatem. 139. De Sanctissima Eucharistia. 273.

CORRECTIO fraterna praescribitur reg. 10ª Summ. 118.

CREATIONIS nostrae finis. 293. p. 1.

CRUCIS desiderium apud sanctum Andream. 13. p. 4. Crucis amor est via ad altos accubitus in coelo. 52. De fructu crucifixionis Christi. 66. p. 3. De motivis, crucis amorem excitantibus. 167. De crucis desiderio renovando. 177. p. 3. Vita crucibus plena: signum praedestinationis. 183. p. 2.

CULTUS divinus immediatus quomodo sit peragendus. 125. p. 2. Examen conscientiae in hac materia in fine «Tertii anni». 210. Quomodo se gerere debeamus coram Deo. 241. p. 2.

DAEMON an habeat locum in anima nostra. 66. p. 2. Ille est noster adversarius. 73. p. 3.

DAVIDIS peccata venialia quantopere punita sint. 302.

DEPRAVATIO status saecularis. 66. p. 1.

DESERTIO Christi a discipulis. 254. p. 2.

DEUS et res divinae sint principale obiectum nostri affectus. 265.

DICTA non ad aedificationem contristant Spiritum Sanctum. 98. p. 2. De materia et modo loquendi. 152., 261. p. 3. De colloquiis spiritualibus. 170., 269. p. 3. Ab omni verbo otioso abstinendum. 228.

DIFFICILIORA cur sectari debeamus. 32. 1., 131. p. 2., 144. p. 4.
DILIGENTES in «schola affectus» esse debemus. 258. p. 1.
DISCIPULORUM in schola Christi virtutes. 262.
DISCORDIAS seminare non debemus. 44. p. 2.
DISPLICERE potius amicis quam Deo oportet. 35. p. 2. Exemplum huius virtutis. 39. p. 2.
DISSIPATIONIS cordis unus malus effectus. 101. p. 3.
DOCTRINA Christi tanquam iniuriosa a Iudaeis reiecta. 255.
DOMESTICOS et aequales diligamus. 94. De officio dominorum erga domesticos. 318., 324.
DONARE Deo quid debemus. 248. Quid et quomodo Christus nobis donarit 249. De duodecim donis a Deo nobis exhibitis. 250. et seq.
ECCLESIA, Sponsa Christi, amanda. 267. p. 1, 2.
ELECTIO Mathiae ad Apostolatum, et tua ad Religionem. 26. p. 2—4. Cur ante electionem duodecim Apostolorum diu Christus oraverit. 63. De mira electione S. Matthaei. 67. Electionis nostrae signa. 203. p. 2 et 204.
ELEEMOSYNA *non patietur animam ire ad tenebras.* 316. Quomodo distribuenda sit. 326.
EUCHARISTIA Sanctissima, vide «Corpus Christi».
EXAMEN particulare est modus vitandi peccata. 149. p. 4. Examen conscientiae in fine «Tertii anni». 270.
EXEMPLA Sanctorum plurimum promovent nostram salutem. 190.
EXIRE e cella sine necessitate non erit sine detrimento. 231. p. 2.
EZECHIAE, regis Iuda, peccatum veniale gravissime punitum. 305.
FAMA sanctissimorum etiam infestatur. 17. p. 1. Bona fama in coelo magis curanda quam in terra. 129. Fama proximi denigrata restituenda. 287.

FERVOR spiritus est renevandus. 176. Vide etiam «Zelus».

FIDEI amor in sancta Catharina. 10. p. 1. Fidem quomodo amare debemus. 45. p. 3. Fidei conservatio quantum beneficium. 48. p. 2. Qualis esse debeat ut homines per eam salvi fieri possint. 206. p. 3. Fiducia id Deo sancti Stanislai. 39. p. 3.

FINIS nostrae actionis qualis esse debeat. 150., 244., 315., 329.

FOECUNDITAS omnis a Deo. 54. p. 2.

FORTITUDO sanctae Catharinae. 10. p. 2. Item sancti Sebastiani. 21. p. 2. Sancti Stanislai. 40. p. 4. Sancti Bartholomaei. 60. p. 2.

FRANCISCI Borgiae (S.) vita ac virtutes pie illustrantur. 78. et seq.

GLORIA Sanctorum in coelo. 1. Item sancti Stanislai. 8. p. 4. Gloria martyrii trium Iaponensium. 24. p. 1. Gloriosa canonisatio sanctorum Ignatii et Francisci. 28. p. 1. De gloria coelesti. 37. p. 2. Ipse Christus nobis ibi praeparat locum. 38. Gloria sancti Bartholomaei. 60. p. 4. Gloria coelestis est nobis appetenda. 2. et seq. 51. p. 1.; 73. p. 4. Finis gloriae Sanctorum. 28. p. 2.

GRATIAM magnam apud Deum quam facile possimus invenire. 6. p. 1. Quid sit ea privari. 19. p. 1. Id fieri posse docet exemplum Iudae. 26. p. 1. Timendum sit ne perdamus gratiam illuminantem. 67. p. 4. De efficacia gratiae Christi. 68. p. 2. De gratia illuminante in quantum est medium ad perfectionem consequendam. 185. p. 2. Carentes ea sunt in via ad mortalia. 188. p. 4. Est auxilium ad salutem. 189. p. 4. Quando Dei gratiam certe habemus? 201. Gratiam hominum quaerere, vitiosum est. 130. p. 2.

GULAE deditus habebatur Christus. 256. p. 2.

HABERE quid debeamus in domicilio animae nostrae, ut digne Christum accipiamus. 243. p. 3.

Habitare in utero virgineo non horruit Christus. 252. Vide etiam «Cella».

Heroicos actus mortificationis et contemptus sui, patres «tertii anni» edere debent. 259. p. 3.

Honores mundani vitandi sint nobis. 130. p. 4.

Humilitas Mariae, Matris Dei. 22. p. 1., 34. p. 3., 46. p. 1. Item S. Matthaei. 68. p. 3. Angelorum. 77. p. 2. De humilitate et quinque gradibus eius. 219 et seq.; 274. p. 1. Humilitatis praemia. 75. p. 2., 263. p. 2. Praemium humilitatis sancti Francisci Borgiae. 80. p. 4.

IACOBI maioris (S.) vita et martyrium. 53. p. 4.

Ieiunia ecclesiastica servanda. 267. p. 2.

Ignatii S. P. N. virtutes in saeculo. 56. p. 1.

Ignoti esse et contempti cupiamus. 260. p. 1.

Imago Dei est homo, ergo perfectus esse debet. 146. p. 1., 244. p. 4.

Imitari Sanctos debemus nam *filii sanctorum sumus.* 30. p. 4. Imitationis Christi obligatio. 58. p. 3. De renovatione amoris erga hanc virtutem. 131. Imitatio Christi est signum praedestinationis. 184. p. 3. De modo imitandi Christum Dominum. 208.

Incredulitas nostra et Thomae. 19. p. 2.

Indulgetiarum usus ad evadendas purgatorii poenas commendatur. 314.

Indumentum nostrum quid significet. 60. p. 3. Quales habere velimus. 228. p. 1.

Inimici sunt amandi. 91; 141. p. 3, 4. Amor ille est signum praedestinationis. 185. p. 8.

Instrumentum Societatis ad animas Christo lucrifaciendas, quisque Patrum «tertii anni» esse debet. 213. p. 3.

Intentionem rectam omnes habere debent. 150.

IOANNIS Baptistae (S.) praerogativae. 42. et seq.
IOSEPHI S. dignitas et sanctae vitae exemplum. 30.
IUDICIA hominum de nobis non sunt spernenda si sunt vera; ex falsis gaudere oportet. 44. p. 1. Temerarium iudicium quantum malum. 50. p. 3. Ne facile condemnemus actiones ob malos eventus. 63. p. 3. De abnegatione iudicii proprii. 239. Iudicium quomodo peragendum sit. 325.
IUVENTUS bene peracta quantum bonum. 72. p. 1.
IUSTITIAM, id est divina et spiritualia, cupere, est signum praedestinationis. 186. p. 4.
LABORES detrectandi non sunt. 121. p. 4.
LAUDIS desiderium a nobis procul sit. 128. p. 4. Ignoti apud homines ut simus, appetendum est nobis. 252. p. 4.
LECTIO librorum spiritualium commendatur. 261. p. 2., 269. p. 2.
LIBERALITAS Sanctissimae Trinitatis erga nos, et nostra vicissim. 33. p. 1. Erga Deum liberales simus. 54. p. 3.
LITERARUM amor in sancta Catharina. 10. p. 1. Apostolorum munere fungentibus commendatur. 49. p. 4.
LUCRO spirituali vacare debemus. 16. p. 2.
LUXUS in utensilibus dedecet religiosum. 228. p. 1.
MANIFESTATIO nostrorum peccatorum Superiori non debet nos moerore implere. 116.
MARIAE, Beatissimae Matris Dei, immaculata conceptio. 17., 64. p. 1, 2. De excellentia eius nativitatis. Ibid. p. 3. Praesentatio eius in templo et modus vivendi ibidem discribitur. 9. Humilitas Mariae et timor in anuntiatione. 34. p. 3. Eius amor proximorum in visitatione Elisabeth. 46. Humilitas in purificatione. 22. p. 1. Modus eius illo tempore vivendi. 23. p. 2. Quomodo obtulit Deo Patri suum Filium. Ibid. p. 3. Erat *gratia plena*. 33. p. 2.

Mariae mors et assumptio. 58. Quid ei offerre debeamus. 65. p. 4.

Martyrium geminatum sancti Sebastiani. 21. p. 3, 4. De martyrum Iaponensium S. I. gloria. 24. Quomodo nobis sit appetibile. 25. p. 4. Praemia martyrii sancti Bartholomaei. 60. p. 4. De sanctis Martyribus meditatio. 85.

Mathiae (S.) aggregatio Apostolis. 26. p. 2.

Matthaei (S.) electio ad Apostolatum; eius obedientia et humilitas. 67.

Mediator Dei et hominum est Christus. 202. p. 1.

Meditatio qualis esse debet. 276 et seq.

Membrorum usus apud Christum Dominum. 153. p. 3, 4. Membra Christi sumus, non simus ergo nimis timidi de nostra salute. 199.

Merita Christi sunt auxilium ad salutem. 189. Christus cupit, ut de eis optime sentiamus. 201. Meritorum cumulatio nostrum est officium. 262. p. 1.

Ministeria nulla fugienda. 230. p. 4.

Miracula post martyrium sancti Stanislai. 40. p. 4. Christi miracula Iudaei diabolicae arti adscribebant. 257. p. 4.

Modestia sancti Iosephi, viri Mariae. 31. p. 2. Ad modestiam incitamentum. 60. p. 3. Quantam habere debeamus. 121. p. 3.

Molestias in Religione cur tolerare debemus. 5. p. 4., 86. p. 3., 113. p. 2.

Mors nostra quomodo felix esse possit. 58. p. 1; 126. p. 4. Felicissimus status post mortem, est finis collectionis. 282.

Mortificatio est medium evadandi poenas purgatorii. 4. p. 3., 314. Est medium ad vitae sanctae consecutionem. 14. p. 2. Amor mortificationis in tribus Martyribus Iaponensibus. 24. p. 2. Item sancti Francisci Borgiae. 78. p. 1. Est signum praedestinationis. 185. p. 2. De mortificationibus cor-

poralibus. 225. De mortificatione in rebus utilibus et commodis. 228. Mortificationis necessitas. 57. p. 1. et seq. Praemia huius virtutis. 60. p. 4.

MUNDUS et quae mundus amat contemnenda sunt. 119. Mundo mori quid sit. 121.

NATALIUM splendorem nobis donavit Christus. 256. p. 1.

NATURAE rerum accomodare debemus nostras actiones. 151.

NOCERE alicui quomodo possimus. 94. p. 3.

NOMINA quae nobis insunt, ad quid nos obligent. 30. p. 1.

OBEDIENTIA Christi vocanti. 13. p. 3. Quomodo Beatissima Virgo legibus obedivit. 22. p. 1. Obedientia est conditio ovium Christi. 36. p. 3. Qualem S. P. N. Ignatius commendarit. 57. p. 4., 106. p. 4. Quomodo vero sanctus Franciscus Borgias. 82. p. 4. Obedientia sancti Matthaei. 68. p. 2. Non obedientes contristant superiores, quod vetat Apostolus. 96. p. 2. Obedientiae praestantia. 102. p. 4. De amore erga eam 105. De obedientia Christi. Ibid. p. 3, 4. Excellentia huius virtutis. 110. p. 3. De eius idea. 169. Superioribus obedire est Christo obedire. 246. p. 4.

ODIUM sui qualis esse debeat. 57. p. 2. et seq. De odio mundi erga nos. 82. p. 2.

OFFERENTIS se Beatissimae Virginis affectus. 9. p. 3. Oblatio Pueri Iesu die purificationis. 23. p. 3. Cur Deus offerri sibi voluerit post dies purificationis. 24. p. 4. Annae sanctae offerrentis trimulam Mariam affectus. 54. Quid Mariae offerre debemus. 65. p. 4. De oblatione votorum. 161. et 178. Vide etiam «Donare».

OFFICIUM divinum quomodo sit recitandum. 267. p. 1.

OMISSIONES nostrae, quales esse debeant. 150. p. 2.

OPINIONEM bonam de nobis apud alios ne curemus 128. p. 3. Nec Christus apud demosticos bonam opinionem habuit. 253. Male de eo Iudaei sen-

tiebant. 255. et seq. De non curandis sinistris hominum opinionibus. 274. Vide etiam «Iudicia».
ORARE pro defunctis cur debemus. 3. p. 1. Quomodo orarit sanctus Martinus. 7. p. 4. Et sanctus Xaverius. 15. p. 3. Precum sanctorum Ignatii et Francisci efficacia. 29. p. 3. Angelus Mariam quomodo allocutus sit. 33. p. 2. Petere quid debemus. 52. p. 2. De oratione Christi. 61. et seq. et 156. p. 4. Quid de oratione putarit sanctus Franciscus Borgias. 82. p. 4. Ad orationem incitamentum. 84. p. 4. Oratio est colloquium cum Deo. 125. p. 3. Mala oratio iram Dei provocat. 246. p. 3.
ORNARE quomodo nos et templa Dei debeamus. 84. p. 3.
PASTORIS Christi erga nos amor. 35. p. 1. Quomodo differt pastor a mercenario? Ibid. p. 2.
PATI pro Christo cur debeamus. 35. p. 1. Deteriora pro Christo eligenda. 83. p. 3., 132. p. 3. Deus corpus suum pro nobis passibile fecit. 250.
PATIENTIA sanctae Catharinae. 11. p. 3. Item Dei erga nos. 245. Item Christi adversus calumniantes. 255. et seq.
PATRES «tertii anni» quales sint necesse est. 211.
PAUPERTATIS sectatores voluit nos esse S. P. N. Ignatius. 56. p. 3. De amore paupertatis et de eius essentia. 103, 164.
PAX in corde quantum bonum. 37. p. 1.
PECCATUM mortale et via ad eum. 186. Est impedimentum salutis. 284. Est omnino vitandum. 297., 320. Peccata nostra excusationem non habent. 83. p. 4. Sunt sordes in templo spirituali, quod est anima nostra. 157. p. 2. Peccata venialia sunt remora salutis. 289. Sunt vitanda: 1^0, quia nocent in hac vita. 302; 2^0, quia nocent post mortem 4. p. 2, 308. Peccatorum fuga commendatur. 123, 146. et seq., 242. p. 3. Est initium perfectionis.

213. Aversio a peccatis est signum electionis. 204. p. 1, 3. De horribili fine contemptus venialium. 187. p. 2. Peccato originali caruit Maria. 18. p. 2. et 65. p. 2.

PERFECTIO proximi et nostra quam nobis sit cordi. 115. Meditationes de motivis ad perfectionem et sanctitatem acquirendam. 136. et seq. Perfectio in quo consistit? 141. Perfectionis norma est petenda: 1°, ex eo, quod homo est «imago Dei», 146. p. 1; 2°, ex eo, quod est *templum Dei*, 156; 3°, ex sacrificio, quod in illo templo peragi debeat. 161. De perfectione in genere. 172. Perfectio in vita spirituali est finis «tertii anni». De perfectionis initio. 213. De requisitis ad eam. 216. De studio eius. 269. p. 4.

PERSECUTIONES pati debemus. 25. p. 3.

PERSEVERANTIA finalis a Deo speranda. 203. p. 3.

PETRI sancti confessio, qua praemia meruerit. 45. p. 4.

POENITENTIAE verae exemplum in Maria Magdalena. 50. p. 1, 2. De poenitentiarum studio renovando. 108. De externis poenitentiis. 225. Poenitentiae abolent poenas purgatorii. 313.

PRAECEPTA Dei, Ecclesiaeque quomodo servanda. 7. p. 1. Observatio mandatorum Christi est signum praedestinationis. 183. p. 1.

PRAEDESTINATIO quantum beneficium. 180. De quatuor signis praedestinationis. 183. De quatuor aliis. 184.

PRAEMIUM virtutum sanctae Catharinae. 11. p. 4. Praemia confessionis sancti Petri. 45. p. 4.

PRESENTATIONIS Beatissimae Virginis causae et tempus. 9. p. 1, 2.

PROBATIO tertia octiduana collectione celebratur. 210. et seq.

PROFECTUS in «schola affectus» qualis esse debet. 259. p. 2.

PROMOTIONES mundanae non desiderandae. 130. p. 3. Quales sint appetendae expanditur. 260. p. 4.
PROPOSITA, vide «Resolutiones».
PROXIMORUM amor commendatur ac illustratur. 142.
PUNIENDI iuste subditos obligatio expenditur. 288.
PURGATORII poenarum acerbitas. 4. p. 1. De modo eas evadendi. 92. p. 3., 312.
PUSILLANIMITAS: Motiva contra eam. 198. et seq.
RECREATIONES nostrae quales esse debeant. 228. p. 2. Extraordinaria vitanda. 229. p. 3.
REGULARUM observatio commendatur. 112., 116. p. 1., 153., 173. De regula 2ª. 115., 8ª. 121. et seq. 9ª. 116., 10ª. 118., 11ª. 119.
RELIGIOSAE vitae amor in sancto Martino. 6. p. 2. Religiosus qualis esse debeat. 56. De amore erga Religionem et de iis qui labefactant eam. 100. Status religiosus exigit a nobis vitae sanctitatem. 137. p. 2. Ille est signum praedestinationis. 184. p. 4., 204. p. 2., 207. p. 4.
RELIQUIAE Sanctorum honorandae cur manent in Ecclesia. 86. p. 4.
RENOVATIO templi spiritualis, animae nostrae necessitas. 156. Die renovationis votorum meditationes. 161., 178. De quatuor renovandis: 1⁰, fervore spiritus; 2⁰, animi puritate; 3⁰, crucis, et 4⁰, sanctitatis desiderio. 176.
RESOLUCIONES mortificationis. 159. Resolutiones in fine «tertii anni». 272.
RESPICERE personas non solet Deus. 12. p. 1. Respectus humani calcandi, si ad offensam Dei nos ducunt .99. p. 3. De respectibus humanis mortificandis. 168.
RESTITUTIO duplex facienda. 287.
SACERDOTUM et sancti Iosephi dignitas. 32. p. 3.
SACRAMENTA sunt medium ad perfectionem consequen-

dam. 174., 189. p. 2. Abolent poenas purgatorii. 315.

SALUTATIO Mariae per Angelum. 33. p. 2. Verba Elisabeth ad Beatissimam Virginem. 46. p. 4.

SALUS nostra cara est Deo. 63. p. 2. Saluti nostrae et proximorum vacandum nobis est. 115. De impedimentis salutis. 186., 284. De auxiliis ad eam consequendam. 188. et seq. De incertitudine salutis. 192. De difficultate. 194. De praestantia eius 196. Deus *omnes homines vult salvos fieri*. 198. et seq. 206. Quomodo salutem nostram certam facere possimus. 204. Obedientia Superioribus est via ad salutem. 246. p. 4. De incitamentis ad promovendam salutem. 293.

SANCTI cur esse debemus. 136. et seq. Sanctitas consistit in amore Dei. 140. De eius amore renovando. 177. p. 4.

SANITATIS nimia cura abneganda. 230. p. 1.

SATISFACTIONIS Deo et proximo obligatio. 286.

SCANDALUM quantum malum! 75. p. 3.

SCHOLA affectus vocatur a S. P. N. Ignatio «tertius annus». 258. De quatuor conditionibus huius scholae. Ibid. De quatuor eius clasibus. 260. De bonis huius scholae discipulis. 262. De gradibus in schola Christi. 264. p. 4.

SENSUUM oblectamenta non necessaria fugienda. 205. p. 4. De sensuali amore. 224.

SERVI boni exemplum. 16. p. 1. Aliud: Sanctus Ioseph. 32. p. 4.

SOCIETATEM Iesu quanti aestimavit sanctus Aloysius. 41. p. 1. Socium Iesu qualem esse debere, docet ipse S. P. Ignatius. 56. De confirmationis Societatis beneficio. 70. Quantum placet Beatissimae Virgini Societas nostra. 81. p. 2.

SOCORDIAM et tepiditatem nostram deflere et detestare debemus. 158. p. 1., 159.

CORRIGENDA.

Pagina et versus:	Est:	Corrige:
$147_{11.12}$	est,... potest	es,... potes
161^{5}	peri	peti
169^{8}	*primum*	*primam*
195^{8}	et	te
220^{8}	peccatorum	peccatorem
222^{14}	exequende... undecime	exequendae... undecimae
229_{11}	libentiur	libentius
233_{14}	quaerandam	quaerendam
248_{6}	repugnatias	repugnantias
251_{11}	tringita	triginta
274_{1}	naturalihus	naturalibus
276^{4}	POSITUS	POSITIS.

SPES augenda est. 85. Pusillanimitas repellenda. 198. et seq.

SPIRITUALIA amanda. 268.

STANISLAI Episcopi et Martyris encomium. 38.

SUPERIORUM dignitas et auctoritas quomodo veneranda. 96. p. 1. Superiores sunt medices animae nostrae. 97. p. 3. Amare eos tanquam parentes oportet. Ibid. p. 4.; 267. p. 3. Monita eorum sunt auxilium ad perfectionem. 175. p. 3.; et ad salutem consequendam. 191. Non obedientes eis facile mortaliter peccant. 187. p. 3.

TALENTA varia in Religione. 16. p. 3. Alia communia omnibus. 17. p. 4.

TEMPLA Dei quatuor modis honoranda. 84. Templa Dei et nos sumus. Ibid. *Templum Dei*, quod *simus*, renovare debemus. 156.

TEMPORIS praetium. 232. p. 4.

TIMOR Mariae ne voto virginitatis quidquam accideret adversi. 34. p. 3.

TURPIA vitanda. 84. p. 1.

VISIONEM Dei beatificam quomodo assequi possimus. 245. p. 1.

VIRTUTUM omnium sectatio commendatur. 144. De anima virtutibus decoranda. 158. Acquisitio virtutum ad perfectionem consequendam requiritur. 216.

VIVENDI modus in aedibus templo adiacentibus exemplo Beatissimae Virginis illustratur. p. 4. Modus vivendi in saeculo sancti Stanislai. 8. p. 2. Sancti Stanislai Martyris ante collatum episcopatum. 38. p. 1. Sancti Francisci Borgiae. 80. p. 1. Modus vivendi sancti Stanislai in Societate. 8. p. 3. Item Beatissimae Virginis Mariae tempore purificationis. 23. p. 2. De modo vivendi sancti Iosephi. 32. p. 4. Regia dignitas non mutavit modum vivendi sancti Wenceslai. 72. p. 2. Vivere debemus

sicut parvuli. 74. p. 1. Optimum exemplum boni religiosi. 81. p. 3. Quid esset Christo Domino soli vivere. 123. et seq. De nostro vivendi modo. 205. p. 4. De vita recte instituenda a regni proceribus. 317.

VOCATIONIS nostrae finis. 12. p. 2. De magnitudine et obligationibus vocationis in Ecclesiam. 47. p. 1. De providentia Dei in illa praestita. Ibid. p. 2. Praestantia vocationis. 63. p. 2. Quomodo Deus sanctum Franciscum Borgiam ad Societatem vocarit. 79. p. 2.

VOLUNTAS Dei est primum motivum quaerendae perfectionis. 137. p. 1. De voluntate Dei salvifica. 188., 198. et seq. Voluntatem propriam abnegare debemus. 232. et seq.

VOTA sunt sacrificium Deo: propitiatorium, eucharisticum, et impetratorium. 162.

WENCESLAI S. Ducis et Martyris vita piis considerationibus illustratur. 72.

ZELUS sancti Stanislai in episcopatu. 39. p. 2. Zelus apostolicus in sanctis Cyrillo et Methodio. 49. p. 4. Item in sancto Bartholomeo. 59. p. 1. Vide etiam «Ardor».

246.71
L226
44495
LANCICIUS, S. J., NICOLAUS
AUTHOR
Puncta Meditationum
TITLE Pars 2.
Editio Recens Emendata.
DATE DUE
BORROWER'S NAME
STORAGE - CBPL
NO. 45
44495